

22500280558

PHARMACOPOEA

AUSTRIACA.

EDITIO QUINTA.



VIENNÆ.

CÆS. REG. AULÆ ET IMPERII TYPOGRAPHIA.

1855.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Erlass des Ministeriums des Innern

vom 20. October 1854, Z. 25069, giltig für alle Kronländer,

betreffend

die neue Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe.

Ueber die unter dem Titel: „Pharmacopoea austriaca. Editio quinta. Viennae. C. R. Aulae et Imperii Typographia. 1855“, erschienene neue Ausgabe der österreichischen Pharmakopöe wird verordnet:

1. Vom 1. Jänner 1855 an ist nach dieser neuen Pharmakopöe in allen Apotheken eines jeden Kronlandes zu dispensiren.
2. Sämmtliche Apotheker haben daher sogleich die hiezu erforderlichen Vorbereitungen zu treffen, und sich ein Exemplar der neuen Pharmakopöe anzuschaffen.
3. Alle Sanitätsbeamten, praktischen Aerzte, Wund- und Geburtsärzte, Thierärzte und Apotheker haben sich mit dem Inhalte der neuen Pharmakopöe genau bekannt zu machen und darnach sich zu benehmen.
4. Die Länderstellen werden hiemit beauftragt, die gegenwärtige Verordnung in geeigneter Weise noch besonders zur Kenntniss des ärztlichen Personales und der Apotheker zu bringen.

Freiherr von Bach m. p.

Prooemium.

Pharmacopoea austriaca anno 1836 edita, quae hucusque publica lege-sanciti auctoritate valebat, jam dudum scientiarum naturalium artisque medicae et pharmaceuticae progressubus respondere desiit.

Itaque novam Pharmacopoeam per omnes Imperii terras valentem elaborare consultum fuit.

Quem ad finem Provinciarum gubernacula Tenentes indagare jubebantur, quae medicis et pharmacopolis desiderentur Pharmacopoeae emendationes.

Collegiorum medicinalium in Provinciis et medicorum physicorum aliorumque artis medicae et pharmaceuticae peritorum consilia erant requisita.

Quorum e relationibus C. R. rerum internarum Ministerio transmissis multum quidem boni et praeclari prodierat, tamen postulata quoque enotuerunt, quae opinionem singulorum magis, quam utilitatis et salutis publicae rationem sequebantur, aliove respectu Pharmacopoeae limites finemque excedebant.

Ne plus autem, neve minus, quam par ac utile et omnibus aequum esset, promulgetur, Supremum hoc Gubernaculum necessitatem agnovit, novam Pharmacopoeae editionem sub auspiciis Summi rerum medicinalium Regiminis concinnandi.

Quâ laboris adminicula consilia rerum peritorum e supra dictis Provinciarum relationibus scaturiebant, et maxima parte ea sese offerebant, quae Collegium medicorum, C. R. rerum internarum Ministerio subordinatum, assumtis egregiis quibusdam medicis et pharmacopolis, proposuit desideranda.

Quo modo novissimis scientiarum medicinalium experientiis edocta Suprema Auctoritas arsit, illarum desideriis imperia rei publicae, quantum licuit, accommodare.

Per futuri autem temporis apta intervalla brevia novas Pharmacopoeae austriacae editiones curare conclusum et consultum est, quarum quaelibet, novis et artis pharmaceuticae et scientiae medicae inventionibus ac emendationibus experientia probatis aucta, cum scientiarum et rei publicae evolutione progrediatur.

Regulae et notationes generales.

---

§. 1.

Medicamina obligata, quae omni in pharmacopolio praesto esse debent, et medicamina non obligata, quae praesto habere pharmacopola lege non tenetur, quae vero in officina prostantia ad normam generalem parata sint, designantur per Elenchos, quos de his et de illis Provinciae gubernacula Tenens constituit.

§. 2.

Medicamina, quorum dispensatio absque medici legitimi praescriptione inhibita est, signo † notata sunt.

Medicamina, quae a reliquis seclusa, et illa, quae sub clave domini vel ejus vices gerentis asservanda sunt, tabulae in fine additae exhibent.

§. 3.

Praeparata, quae optimae indolis in officinis chemicis inveniuntur, et a pharmacopola majori pretio plurique opera parantur, quam emuntur, quâ praeparata ex officinis chemicis venalia declarabantur. Quae autem genuina, non inquinata, nec corrupta sint oportet.

§. 4.

Nonnulla corpora ad usus domesticos pertinentia, attamen usui quoque medico non raro inservientia recipiebantur, ut noctu aliove momento, quo e mercatorum taberna comparari nequeant, urgenter necessaria in pharmacopoliis saltem reperiantur.

§. 5.

Quocunque nomine, sive alphabetico primario, sive inter synonyma admisso, medicus in formula praescripta usus est, semper pharmacopola id medicamentum dispensare debebit, de quo sub hoc nomine Pharmacopoea agit.

§. 6.

Si medicamentum, quod et crudum et depuratum seu rectificatum in pharmacopoliis prostat, praescripserit medicus, nulla addita illorum distinctione, depuratum seu rectificatum semper dispensetur.

Ita quoque si medicamentum, cujus plures adsunt concentrationis et fortitudinis gradus, sine expressa hujus significatione praescriptum fuerit, dilutum et mitius semper dispensandum est.

§. 7.

Reagentia sub finem operis inducta in omni pharmacopolio omni tempore praesto esse debent.

§. 8.

Medicorum tandem praxim exercentium officium erit singulare, methodi, qua nunc parari jubentur medicamina, horumque inde natae virtutis studio diligenter incumbere. Nam hoc respectu multa hujus Pharmacopoeae praeparata ab iisdem Pharmacopoeae prioris editionis valde sese differunt (quod imprimis de extractis et tincturis quibusdam valet), quia in desiderio et consilio fuit, medicamina praebere virtutis jam minori dosi efficacioris.

---

1. Acetum aromaticum.

Acetum antisepticum. Acetum prophylacticum seu cardiacum. Acetum quatuor latronum.

℞. Herbae sicc.	**Absinthii**	
„	**Rutae**	
Foliorum	**Menthae piperitae**	
„	**Rosmarini**	
„	**Salviae**	*ãã drachmas sex,*
Florum	**Lavandulae**	*unciam unam.*
Radicis	**Angelicae**	
„	**Calami aromatici**	
Bulbi Allii		
Corticis Cinnamomi		
Nucis moschatae		
Caryophyllorum		*ãã drachmam unam,*
Aceti crudi		*libras quatuor,*
Acidi acetici concentrati		*uncias quatuor.*

Macera per triduum in vase vitreo bene clauso.

Colaturae expressae adde:

Camphorae *drachmas tres,*

in

Spiritus Vini rectificatissimi *uncia una*

solutae.

Stent adhuc per diem, deinde filtrentur.

Sit limpidum, servetur in vasis vitreis, bene obturatis.

† 2. Acetum Colchici.

℞. **Bulbi Colchici recentis conscissi** *uncias duas,*
Aceti crudi *libram unam.*

Macera in vase vitreo per triduum, deinde cola leni expressione et filtratum serva.

3. Acetum crudum.

Acidum aceticum dilutum. Acetum e spiritu vini.

In officinis propriis e spiritu vini aqua diluto ope fermentationis acidae paratum in usum pharmaceuticum emitur. Sit decolor, ab acidis alienis, substantiis acribus et metallis purum, et ejus aciditatis, ut unciae duae Natri carbonici crystallisati drachmas duas perfecte neutras reddant.

† 4. Acetum Scillae.

Acetum scilliticum.

℞. **Bulbi Scillae recentis minutim conscissi** *uncias duas,*
Aceti crudi *libram unam.*

Macera in vase vitreo per triduum, leniter expressum cola et filtratum serva.

5. Acidum aceticum concentratissimum.

Acetum radicale. Acetum glaciale.

℞. **Natri acetici crystallisati** *uncias decem,*
in sartagine ferrea leni igne semper terendo exsicca, donec massa in pulverem album aequabilem dilapsa fuerit.

Pulverem adhuc calidum immitte in cucurbitam vitream. Affunde:
Acidi sulfurici concentr. puri *uncias sex.*

Cucurbitae cito adjunge refrigeratorium Liebigianum cum excipulo refrigerato, et destilla balneo arenae donec *unciae tres* transierint.

Destillatum forsan vel acido sulfuroso, vel hydrochlorico inquinatum digere in vitro bene clauso per aliquot dies saepius agitando super: vel
Mangani hyperoxydati pulv. *drachmas duas,*

vel

Natri acetici siccati *drachmam unam,*

demum liquorem decantatum rectifica.

Praeparatum in vase vitreo optime clauso serva.

Sit limpidum, odoris fragrantissime acidi, minime empyreumatici vel sulfurosi quid prodens, inflammabile, gravitatis specificae 1,063—1,070, ab acidis alienis et metallis purum.

6. Acidum aceticum concentratum crudum.

Acetum concentratum crudum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit decolor, non empyreumaticum, gravitatis specificae 1,040.

7. Acidum aceticum concentratum purum.

Acetum concentratum purum.

℞. **Acidi acetici concentr. crudi** *libras quatuor,*

digere per aliquot horas cum

Kali bichromici *drachmis duabus,*

dein rectifica.

Sit limpidum, coloris expers, odoris minime sulfurosi vel empyreumatici, calore penitus avolet, gravitatis specif. 1,040, vel ejus aciditatis, ut uncia dimidia drachmas tres Natri carbonici crystallisati neutras reddat.

Ne sit empyreumate, acidis alienis vel metallis inquinatum.

8. Acidum benzoicum.

Flores Benzoës. Acidum benzoilicum. Sal acidum seu essentiale Benzoës.

℞. **Benzoës grosse tusae** *libram unam.*

Immitte in fundum planum sartaginis ferreae rotundae (diametr. 8—9″, altitud. 1—2″). Supra sartaginem expande chartam bibulam laxioris texturae ita, ut marginibus, ope glutinis amylacei firmatis, claudatur. Vasi ferreo impone conum e charta densiori formatum et apice probe clausum, quem inferne funiculo adliga.

Sartagine tali modo adaptata et in balneum arenae immissa, fiat per quatuor aut sex horas, leni et aequabili igne sublimatio. Post refrigerium cono chartaceo Acidi benzoici crystallulos inhaerentes in vase vitreo serva.

Crystalluli sint foliacei vel aciculares hexagoni, albi vel vix subflavicantes, nitoris margaritacei, tenerrimi et ad halitum fere flexiles, odoris amoene benzoici, saporis modice dulciusculi deinde acidulo acris, fauces pungentis. Calore liquescant, et denique ebulliendo avolent penitus in fumis pulmones irritantibus. Una pars Acidi benzoici in 200 partibus aquae frigidae et in 25 partibus aquae fervidae, in spiritu vini rectificatissimo facile solvatur.

9. Acidum boracicum.

Acidum boricum. Sal acidus Boracis. Sal sedativus Hombergi.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli sint lamellares hexagones, albae, margaritaceo nitentes, subtenaces, ad tactum pinques, inodorae, saporis vix perspicue acidi, fere amariusculi, solvantur facile in aqua fervida et in spiritu vini rectificato, hujus flammam viride colorent. — Ne sint acido sulfurico vel hydrochlorico inquinatae. Impurae nova crystallisatione depurentur.

† 10. Acidum chloro-nitrosum.

Acidum nitroso-muriaticum. Aqua regia.

℞. **Acidi hydrochlorici concentr.** *partes duas,*
Acidi nitrici concentr. *partem unam.*

Ex tempore parandum.

11. Acidum citricum.

Acidum Citri.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli sint rhombicae, decolores, saporis grate sed vehementius acidi, in aëre immutabiles, temperatura leni fatiscant, calore aucto

liquescant, sub 150° C. decomponantur, in aquae parte aequali facillime solvantur.

Ne sit acido sulfurieo, tartarieo, ealearia et metallis inquinatum.

†12. Acidum gallicum.

Sal essentialis gallarum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli sint aciculares tenuissime longae, albae, sericeo nitentes, inodorae, saporis styptici, modice aciduli, aëri expositae sub leni calore fatiseant, solvantur in temperatura ordinaria in centum aquae partibus, faeilius in spiritu vini et aethere.

Solutio aquosa eum salibus ferri oxydati mixta, colorem induit saturate atro-eoeruleum, gelatinam animalem non praecipitat.

†13. Acidum hydrochloricum concentratum crudum.

Acidum muriaticum concentratum crudum. Acidum salis fumans. Spiritus salis fumans.

Praeparatum officinarum ehemiearum.

Sit ab arsenico liberum, ponderis specifici 1,160.

†14. Acidum hydrochloricum concentratum purum.

Acidum muriaticum concentratum purum. Acidum hydrochloratum concentratum. Acidum salis.

Praeparatum officinarum chemiearum.

Sit liquor limpidus, deeolor, odoris aeidi pungentis, saporis admodum acidi, sine residuo volatilis, ponderis specifici 1,120.

Continet in 100 partibus 24 partes aeidi anhydri.

Ne sit arsenico, acidis alienis, metallis vel salibus inquinatum.

15. Acidum hydrochloricum dilutum purum.

Acidum muriaticum dilutum. Acidum hydrochloratum dilutum. Spiritus salis acidus.

℞. Acidi hydrochlorici concentrati *libram unam.*

Misce cum

Aquae destillatae *libra una.*

Sit gravitatis specificae 1,060.

Continet in 100 partibus 12 partes acidi anhydri.

†16. Acidum hydrocyanicum.

Acidum hydrocyanatum. Acidum borussicum.

℞. **Kalii ferro-cyanati flavi in pulverem triti** *unciam semis,*
immitte in cucurbitam vitream, affunde:

Acidi sulfurici concent. puri *drachmas duas,*

Aquae destillatae *uncia semis*

antea diluti.

Adaptato refrigeratorio Liebigiano et excipulo glacie refrigerato, cui inest

Aquae destillatae *uncia semis,*

fiat destillatio ex balneo arenae ad siccitatem usque.

Liquori in excipulo obtento adde aquae destillatae tantum, ut liquor in centum partibus contineat acidi hydrocyanici anhydri partes duas.

Servetur caute in lagenulis vitreis non coloratis, nec ultra dimidium unciae capacibus, charta atra obductis, et bene obturatis.

Liquor, admodum venenosus, sit limpidus, decolor, odoris peculiaris narcotici, penitus volatilis, addito liquore kali caustici, ferri sulfurici et excedente acido hydrochlorico praecipitatum praebeat coeruleum.

†17. Acidum nitricum concentratum purum.

℞. **Acidi nitrici crudi** *libras quatuor.*

Immitte in retortam vitream, cui inest

Kali nitrici *uncia una.*

Fiat destillatio leni calore in excipulum bene refrigeratum, donec destillatio cessat.

Liquor primum prodiens seponatur, quamdiu chlori vestigia ope solutionis nitratis argenti deteguntur.

Liquorem postea prodeuntem collige, cum aqua destillata ad pond. specif. 1,300 dilue et in vase epistomio vitreo clauso serva. Sit decolor aut parum flavescens, odoris acidi, saporis caustici, ex toto volatilis.

Continet in 100 partibus 40 partes acidi anhydri.

Ne sit acido sulfurico, chloro vel salibus inquinatum.

† 18. **Acidum nitricum crudum.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit gravitatis specificae 1,350.

† 19. **Acidum nitricum dilutum purum.**

Aqua fortis.

℞. **Acidi nitrici concentrati puri**
Aquae destillatae *āā libram unam.*

Misce.

Sit liquor limpidus, decolor, gravitatis spec. 1,140.

Continet in 100 partibus 20 partes acidi anhydri.

† 20. **Acidum phosphoricum glaciale.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit pellucidum, in aqua omnino solubile, ab acido sulfurico liberum, tantummodo vestigia calcis vel magnesiae continens.

† 21. **Acidum phosphoricum purum.**

℞. **Acidi phosphorici glacialis** *uncias duas,*

solve in

Aquae destillatae *unciis duodecim.*

Liquor saturetur

Gas hydrothionico

et stet dein per aliquot dies in loco calido, ad perfectam sulfureti arsenici praecipitationem.

Postea calefiat ad perfectam gas hydrothionici expulsionem, filtretur et diluatur ad pondus spec. 1,130.

Sit limpidum, decolor, inodorum, saporis mere acidi, solutionem albuminis ne praecipitet, per ammoniam neutrum in solutione argenti nitrici praecipitatum flavum producat.

Ne sit acido sulfurico, nitrico, phosphoroso, arsenico inquinatum, tantummodo vestigia calcariae et magnesiae ostendens.

Continet in 100 partibus 15 partes acidi anhydri.

22. Acidum pyrolignosum.

Acidum pyroxylicum. Acetum ligni empyreumaticum.

Liquor in officinis chemicis, e lignis imprimis durioribus destillatione sicca paratus, limpidus, fuscus, admodum acidus, odoris empyreumatici, acidum aceticum, kreosotum et alia destillationis siccae producta continens.

23. Acidum succinicum.

Acidum succinicum empyreumaticum. Sal Succini.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli in officinis chemicis e succino paratae, prismaticae, flavescentes, saporis acidi, odorem olei succini spirantes, in aëre haud mutabiles, in temperatura 176° C. liquescunt, calore aucto in fumis pulmones irritantibus penitus avolant.

Solvitur in 25 part. aquae frigidae, in tribus partibus fervidae, in alcohole et aethere.

Servetur in vasis bene clausis. Ne sit adulteratum.

†24. Acidum sulfuricum anglicanum.

Acidum sulfuricum concentratum crudum. Oleum Vitrioli anglicanum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit pond. specif. 1,840—1,845, ab arsenico liberum.

†25. Acidum sulfuricum concentratum rectificatum.

Oleum Vitrioli depuratum.

℞. Acidi sulfurici anglicani *libras duas.*

Immitte ope infundibuli, tubulo longo instructi, in retortam vitream, ejus capacitatis, ut dimidia pars vacua maneat, cavendo ne retortae collum per immissionem liquoris inquinetur.

Additis Platini aliquot filis e retorta arenae imposita et satis deorsum declinata fiat destillatio, commissuris apertis in excipulum. Decima sexta circiter liquidi pars transmissa seponatur, et adaptato novo excipulo antea calefacto continuetur destillatio ad remanentiam *unciarum quatuor*.

Cave ne per ebullitionem nimiam aliquid acidi in retorta contenti in excipulum injiciatur.

Acidum ita rectificatum in langenis epistomio vitreo clausis serva.

Sit olei instar fluens, coloris et odoris expers, peracidum, corrosivum, omnino volatile, grav. spec. 1,845.

In 100 partibus 81 partes acidi anhydri continens.

Ne sit acido nitrico aut nitroso, sulfuroso, arsenico aut metallis inquinatum.

26. Acidum sulfuricum rectificatum dilutum.

Spiritus Vitrioli.

℞. Acidi sulfurici conc. rectificati *unciam unam,*
Aquae destillatae *uncias sex.*

Misce, acidum in aquam lente instillando.

Liquor limpidus, decolor, gravit. spec. 1,090.

Continet in 100 partibus 11 partes acidi anhydri.

†27. Acidum tannicum.

Tanninum.

℞. Gallarum turcicarum ruditer tusarum *q. v.*

Immitte in infundibulum separatorium vitreum, tubo longo instructum, ad basin gossypio repletum et epistomio suberino clausum; superaffunde:

Miscelae e quatuor voluminibus Aetheris et uno volumine Spiritus vini rectificatissimi *q. s.*

ut Gallae obtegantur.

Stent per 48 horas in loco frigido.

Dein epistomio suberino remoto collige liquorem guttatim effluentem in lagenam vitream.

Gallis novam portionem ejusdem miscelae infunde et liquidum guttans unacum liquore supra parato evapora in patina porcellanea ampla leni calore ad siccum.

Residuum in pulverem redactum servetur vase bene clauso.

Sit pulvis flavescens, saporis austeri peradstringentis, in aqua et spiritu vini facile solubilis.

Solutio aquosa in solutione gelatinae animalis praecipitatum exhibeat albidum, elastico-tenax.

28. Acidum tartaricum.

Acidum Tartari. Sal essentiale Tartari.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystalli sint decolores, prismaticae vel tabulae-formes, inodores, saporis cum acerbitate grate aciduli, in aëre immutabiles, in dimidia parte aquae frigidae, difficile in alcohole solubiles, calore aucto sine residuo combustibiles.

Sint ab acido sulfurico, gypso et metallis liberae.

† 29. Aether aceticus.

Naphtha aceti. Naphtha seu Aether vegetabilis.

℞. **Natri acetici crystallisati, ad perfectum siccitatem redacti** *uncias sedecim.*

Immitte in cucurbitam vitream et affunde miscelam ex:

Spiritus vini rectificatissimi *unciis sedecim,*
Acidi sulfurici concentrati anglicani *unciis viginti.*

Stet per viginti quatuor horas, dein adaptato refrigeratorio Liebigiano fiat destillatio in excipulum vitreum bene refrigeratum, donec transierint *unciae duodeviginti.*

Destillatum conquassa cum **Soltuionis Natrii chlorati** *aequali volumine* perfecte saturatae.

Liquor aethereus separetur, stet super Calcio chlorato per 24 horas, dein rectificetur balneo aquae et servetur in vasis bene clausis.

Sit liquor limpidus, decolor, odoris proprii grati, ab omni acido liber, penitus volatilis, in aquae destillatae minore quantitate, quam in partibus decem non solubilis, grav. sp. 0,890.

†30. Aether crudus.

Aether sulfuricus crudus.

Praeparatum officinarum chemicarum.
Sit ponderis specifici 0,730.

†31. Aether depuratus.

Aether sulfuricus. Aether Vitrioli. Naphtha Vitrioli.

℞. **Aetheris crudi** *q. v.*

Admisce pauxillum kali caustici soluti ad perfectam neutralisationem.

Totus liquor sine decantatione immittatur retortae vel cucurbitae vitreae, adaptato refrigeratorio Liebigiano cum excipulo vitreo glacie refrigerato, rectificetur in balneo aquae, et servetur vasis vitreis optime clausis in loco frigido.

Sit liquor decolor, limpidissimus, odoris vehementer aetherei, in aquae partibus decem solubilis, cum quavis quantitate spiritus vini miscendus, in temperatura ordinaria facillime avolans vaporibus valde inflammabilibus, in temperatura 36° C. ebulliens, ponderis specifici 0,730.

Aetherem a spiritu vini, oleo vini, et ab acidis liberum esse oportet.

†32. Agaricus albus.

Polypori officinalis Fries *(Boleti Laricis* Jacq.*)* fungi ex *Hymeninorum pileatorum* subordine, qui Germania australiori et Helvetia truncis ramosis Pini Laricis innascitur, frusta decorticata et siccata, mercabilia.

Sistit frusta variae magnitudinis, levia, spongiosa, tenacia, friabilia, subfarinosa, digitos contractantis inquinantia, odore farinae recentis, saporis subdulcis, amaricantis, acris.

Ab anobiis corrosus rejiciatur.

33. Agaricus Chirurgorum.

Agaricus quercinus praeparatus.

Polypori fomentarii Fries fungi ex *Hymenomycetum* subordine, qui per omnem fere Europam mediam in truncis annosis imprimis

Quercuum nascitur, frusta mercabilia, maceratione in aqua et tusione cum malleis ligneis, potissimum in Hungaria, praeparata, in vulgus notissima.

A merce Kali nitrico impraegnata cave.

†34. **Aloë lucida.**

Aloë socotrina.

Succus induratus e foliis elicitus diversarum specierum generis Aloës (*Aloës vulgaris* Lam. *Al. socotrinae* Lam. *Al. purpurascentis* Haw. *Al. spicatae* Thunb. *Al. arborescentis* Miller etc.) plantarum e *Liliacearum* ordine, quae in Africa australi et India orientali occidentalique nascuntur. Sistit frusta variae magnitudinis verniceo nitentia, e fusco viridique purpurascentia, fractura lucida, ad margines subdiaphana, in calore mollescentia, in frigore friabilia, pulverem flavum, odoris nauseosi, saporis amarissimi, aromatici, largientia.

Solvitur majore ex parte in aqua, fere ex toto in spiritu vini. Rejiciatur Aloë caballina, fere atra, foliorum fragminibus, et muco copioso sordida.

35. **Alumen crudum.**

Sulfas Aluminae et Lixivae cum aqua.

Sal in officinis chemicis paratum, sistit crystallos octaëdricas, decolores, pellucidas, inodoras, saporis styptico-subdulcis. In aëre paululum fatiscit, leni calore aqua evaporata in massam spongiosam (Alumen ustum) abit, calore aucto decomponitur.

Solvitur in 18 partibus aquae frigidae.

Ne sit Oxydo ferri vel Alumine ammoniacali inquinatum.

36. **Alumen ustum.**

Alumen calcinatum seu spongiosum. Sulfas Aluminae et Lixivae anhyder.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Massam sistit amorpham, albissimam, levem, spongiosam, parum adstringentem. Aëri per longius tempus exposita, humoribus attractis, omnino solvitur.

Servetur in loco sicco.

Cave ab alumine nimio calore usto, qui emissam praeter aquam etiam acidi sulfurici partem perdidit.

37. Ammoniacum.

Gummi Ammoniacum.

Gummiresina *Umbelliferarum* nondum bene cognitarum in Oriente crescentium, sistit glebas vel grana opaca, extus flava intus albida, pingui splendentia, duriuscula, fragilia, calore mollescentia, difficulter et nonnisi frigore in pulverem redigenda, odoris peculiaris, ingrati, saporis acris.

Rejiciantur cum reliquis mixta grana nigricantia, fere inodora.

†38. Ammonia pura liquida.

Spiritus salis ammoniaci causticus. Liquor Ammonii caustici.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit limpidus, decolor, odoris penetrantis ammoniacalis, saporis acris, caustici, ex toto volatilis, ponderis specif. 0,960.

Sit liber ab acido carbonico, sulfurico, chloro, metallis et partibus empyreumaticis.

Continet in 100 partibus 10 partes Ammoniae purae.

39. Ammonium aceticum solutum concentratum.

Liquor Ammonii acetici concentratus. Acetas Ammoniae solutus concentratus.

℞. **Acidi acetici concentrati** *uncias octo.*

Ingere

Ammonii carbonici sicci in pulverem triti *uncias duas v. q. suf.*

ad perfectam neutralisationem.

Repone in locum tepidum ad perfectam gas carbonici evolutionem, deinde adde:

Aquae destillatae *q. s.*

ut liquor sit pond. specif. 1,050, decolor, limpidus, odoris et saporis minime empyreumatici, sed salini, subpungentis, ex toto volatilis, acidi excedentis tantum vestigia praebens.

40. Ammonium aceticum solutum dilutum.

Spiritus Mindereri. Acetas Ammoniae solutus dilutus. Liquor Ammonii acetici dilutus.

℞. **Ammonii acetici soluti concentrati** *unciam unam,*
Aquae destillatae *uncias quatuor.*

Misce.

Sit gravitatis specificae 1,010.

Ex tempore v. nonnisi minori quantitate paretur.

41. Ammonium carbonicum pyro-oleosum solutum.

Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Carbonas Ammoniae pyro-oleosus solutus. Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Liquorem venalem destillationi subjice, donec dimidia pars elicita fuerit.

Sit liquor limpidus, flavescens, odore ammoniacali, empyreumatico, ex toto volatilis, ponderis specifici 1,060.

42. Ammonium carbonicum siccum.

Alkali volatile siccum. Carbonas Ammoniae alcalinus.

Paratur in officinis chemicis, sal in massis albis subcrystallinis, fibrosis, superficie pulverulentis et in aëre partim avolantibus. Odor nares faucesque irritans, sapor alcalinus acris.

Sit in igne penitus volatilis, a metallis, salibus et empyreumate liberum.

Solvitur in aquae frigidae partibus tribus, in spiritu vini fere insolubilis est.

Servetur in vasis bene clausis.

43. Ammonium carbonicum solutum.

Carbonas Ammoniae solutus. Liquor Ammonii carbonici. Spiritus salis ammoniaci aquosus.

℞. **Ammonii carbonici** *unciam unam,*
solve in
Aquae destillatae frigidae *unciis quatuor.*

Sit liquor limpidus, decolor, ex toto volatilis.

44. Ammonium chloratum crudum.

Sal ammoniacum crudum. Ammonium muriaticum crudum. Murias Ammoniae.

Sal in officinis chemicis paratus, prostat in crystallis vel placentis convexo-concavis, crystallino-fibrosis, albis, pellucidis, duris, inodoris, saporis salini, pungentis, vix mutatur in aëre, solvitur in aquae frigidae partibus circiter tribus, et in fervidae pondere fere aequali, igne avolat.

45. Ammonium chloratum depuratum.

Sal ammoniacum depuratum. Flores salis ammoniaci simplices. Murias Ammoniae purus. Ammonium muriaticum depuratum.

℞. **Ammonii chlorati crudi** *q. v.*
solve in
Aquae destillatae calidae *quantitate sufficiente.*

Solutionem filtra et in crystallos redige.

Crystallos albissimas bene siccatas serva.

Sint a salibus, metallis et empyreumate liberae.

46. Ammonium chloratum ferratum.

Ammonium muriaticum martiatum. Flores salis ammoniaci martiales. Murias ferri ammoniacalis. Sal ammoniacum martiatum.

℞. **Ammonii chlorati depurati** *uncias sex,*
Ferri sesquichlorati crystallis. *uncias duas et dimidiam,*
solve in
Aquae destillatae *s. q.*

Liquidum filtratum in vase porcellaneo in balneo aquae et continua agitatione ad siccitatem usque evapora, et in pulverem contere.

Servetur in vase bene clauso loco obscuro.

Sit pulvis subcrystallinus, aurantiacus, saporis austeri pungentis, in aëre humescens, in aqua penitus solubilis.

47. Ammonium succinicum pyro-oleosum.

Spiritus Cornu cervi succinatus. Liquor Ammonii succinici.

℞. **Ammonii carbonici pyro-oleosi soluti** *uncias sex,*
Acidi succinici *unciam unam,*
vel quantum requiritur ad saturationem.

Filtratum serva in vase optime clauso.

Sit liquor limpidus, flavescens, per aetatem fuscescens, neuter, in calore totus volatilis, saporis salsi, pungentis, odoris ammoniacalis et olei succinici empyreumatici.

Sit sponderis specifici = 1,08.

48. Amygdalae amarae.

Amygdali communis Linn. arboris in Syria et Africa boreali sponte crescentis, apud nos in vineis et hortis cultae, ex ordine *Amygdalearum,* semina ovata, compressa; constant ex integumento membranaceo, luteo-fusco, longitudinaliter rugoso-striato, pulverulento scabro; et ex embryone albo, carnoso, in cotyledones duas plano-convexas secedente, radicula minima, recta.

Sunt saporis amarissimi, odoris fere nullius, digitis autem cum paululo aquae tritae, odorem spargunt gratum proprium aethereum.

49. Amygdalae dulces.

Semina varietatis hortensis *Amygdali communis* Linn. ab amygdalis

amaris charaeteribus externis nullo modo diversa, sed amari principii omnino expertia, sapore dulei distinguenda.

†50. Amygdalinum.

Praeparatum offieinarum ehemiearum.

Servetur in vase vitreo bene elauso.

Sistit erystallos albas, inodoras, in aqua et spiritu vini fervido faeile, in spiritu vini frigido difficulter, in aethere non solubiles. In emulsione amygdalarum dulcium solutae, odorem peeuliarem olei amygdalarum amararum exhalant.

Amygdalini grana septemdecim in emulsione amygdalarum dulcium soluta respondent eireiter Aeidi hydroeyaniei anhydri grano uni.

Ne sit odoris rancidi.

51. Amylum Marantae.
Arrow-root.

Amylum e eellulis rhizomatis *Marantae arundinaceae* Linn. plantae *Cannacearum* ordinis in insulis Antillanis ereseentis separatum, pulverem sistit albissimum, impalpabilem, inodorum, insipidum, addito jodo coeruleum eolorem assumentem.

Amyli Marantae grana decem cum aquae bullientis uneiis duabus massam praebent mueilaginosam, pellueidam. Eadem Amyli Solani tuberosi quantitas eodem modo tractata eundem eharaeterem exhibet. Eadem vero Amyli Tritiei quantitas eodem modo traetata sistit massam eohaerentem mueilaginosam turbidam.

Amylum Solani tuberosi cum Acidi hydrochloriei concentrati parte aequali mixtum et aqua dilutum, odorem herbaceum, leguminum faseoli recentium eonscissorum odori comparandum exhalat.

52. Amylum Tritici.

Amylum e seminibus *Tritici sativi* Linn. ex ordine *Graminearum* in offieinis propriis separatum, venditur in frustis parvis, faeillime in pulverem redigendis. Et siccum et aqua fervida mixtum odoris plane expers sit.

†53. Aqua amygdalarum amararum concentrata.

℞. **Amygdalarum amararum** *libram unam.*
Contusione et expressione sine calore ab oleo liberatis affunde
Aquae communis *libras quinque,*
macera per duodecim horas et destillando
abstrahe *libram unam.*

Aquam elicitam bene agita ad olei solutionem, oleum forsitan non solutum separa.

Servetur in lagenulis vitreis bene obturatis, loco obscuro et frigido.

Sit aqua limpida vel parum lactescens, odoris amygdalarum amararum penetrantis atque ejusdem saporis; uncia una hujus aquae praebeat grana tria praecipitati Argenti cyanati.

54. Aqua amygdalarum amararum diluta.

℞. **Aquae amygd. amarar. concentr.** *unciam dimidiam,*
Aquae destillatae *uncias duodecim.*
Ex tempore paranda.

55. Aqua Anisi.

℞. **Seminum Anisi vulgaris contusorum** *libram unam,*
Aquae communis *libras decem.*
Macera per duodecim horas et abstrahe *libras sex.*

56. Aqua antihysterica foetida.
Aqua foetida Pragensis.

℞. **Galbani** *unciam unam,*
Asae foetidae *unciam unam et dimidiam,*
Myrrhae *drachmas sex.*
Radicis Valerianae officinalis
„ **Zedoariae** *aa uncias duas,*
„ **Angelicae** *unciam dimidiam,*
Foliorum Menthae piperitae *unciam unam et dimidiam,*
Herbae Serpylli

Florum Chamomillae roman. *āā unciam unam,*
Castorei *drachmam unam.*
Conscissis, contusis et in retortam immissis affunde:
Spiritus vini rectificati *libram unam et dimidiam.*
Stent per viginti quatuor horas, tunc affunde:
Aquae communis *q. s.*
et fiat destillatio *librarum trium.*
Sit turbida, graveolens, ab oleo aethereo supernatante libera.

57. Aqua aromatica spirituosa.
Balsamum embryonis.

℞. **Florum Lavandulae**
Foliorum Salviae
„ **Melissae**
„ **Menthae crispae** *āā uncias quatuor,*
Nucis moschatae
Caryophyllorum
Macidis
Corticis Cassiae Cinnamomeae
Radicis Zingiberis
Seminum Foeniculi *āā uncias duas.*
Conscissis et contusis affunde:
Spiritus vini rectificati *libras quatuor,*
Aquae communis *libras viginti.*
Post macerationem duodecim horarum abstrahe
libras sexdecim.

58. Aqua Aurantiorum florum.
Aqua Naphae.

Praeparatum officinarum chemicarum.
Metallis inquinata rejicienda.

59. Aqua calcis.
Aqua Calcariae.

℞. **Calcis vivae recenter ustae** *libram unam,*

consperge in vase fictili

Aquae communis	*unciis circiter sex,*

post plenam extinctionem admisce

Aquae communis	*libras triginta.*

Serva in vase vitreo, interdum agitando.

Ante usum aquam limpidam a sedimento defunde, et filtratam exhibe.

Liquor limpidus, saporis alcalini.

60. Aqua carminativa simplex.

℞. **Florum Chamomillae romanae**	*libram semis,*
Corticum Aurantiorum	
„ **Citri**	
Foliorum Menthae crispae	
Seminum Carvi	
„ **Coriandri**	
„ **Foeniculi**	*aa unciam unam et semis,*

concissis et contusis affunde:

Aquae communis	*libras sexdecim,*
post macerationem viginti quatuor horarum abstrahe	*libras octo.*

61. Aqua carminativa regia.

℞. **Aquae carminativae simplicis**	*libram unam et semis,*
Spiritus aromatici	*libram dimidiam,*
Sacchari albi	*uncias tres,*
Coccionellae	*drachmam dimidiam.*

Misce, et post digestionem viginti quatuor horarum filtra.

Filtratum serva.

62. Aqua Carvi.

Paretur e seminibus Carvi contusis, ut Aqua Anisi.

63. Aqua Castorei.

℞. **Castorei europaei conscissi**	*unciam unam et semis,*
Aquae communis	*libras septem,*
Spiritus vini rectificati	*libram unam;*
abstrahe	*libras sex.*

64. Aqua cerasorum nigrorum.

℞. **Nucleorum cerasorum nigrorum silvestr. contusorum**	*libras duas,*
Aquae communis	*libras octo.*
Macera per viginti quatuor horas saepius agitando, deinde abstrahe	*libras quatuor.*

65. Aqua Chamomillae.

℞. **Florum Chamomillae vulg. siccator.**	*libram unam,*
Aquae communis	*libras duodecim;*
abstrahantur	*librae quatuor.*

66. Aqua Chlori.

Chlorina liquida. Aqua oxymuriatica. Liquor Chlori.

℞. **Acidi hydrochlorici venalis**	*uncias tres,*
Aquae communis	
Mangani hyperoxydati nativi pulverati	*$\overline{aa}$ unciam unam.*

Immitte in cucurbitam vitream satis capacem, et junge cum duobus excipulis Woulfianis, quorum primum continet:

Aquae communis	*unciam unam,*

alterum:

Aquae destillatae	*libras duas.*

Fiat leni igne destillatio, donec Chlorum non amplius evolvitur.

Liquor in primo excipulo contentus effundatur, liquor alterius in vasis bene obturatis loco frigido et obscuro servetur.

Sit liquor flavescens, odoris suffocantis, saporis nauseosi, styptici, colores vegetabiles destruat.

67. Aqua Cinnamomi simplex.

℞. **Corticis Cassiae Cinnamomeae contusi** *libram unam,*
Aquae communis *libras duodecim.*
Macera per duodecim horas, deinde abstrahe *libras sex.*

68. Aqua Cinnamomi spirituosa.

℞. **Corticis Cassiae Cinnamomeae contusi** *libram unam,*
Aquae communis *libras quinque,*
Spiritus vini rectificati *libram unam.*
Macera per duodecim horas, tum abstrahe *libras tres.*

69. Aqua Cochleariae.

℞. **Foliorum Cochleariae recentium** *libram unam,*
Aquae communis *libras octo;*
abstrahantur *librae quatuor.*

70. Aqua destillata simplex.

℞. **Aquae communis** *q. v.*

Fiat lege artis destillatio ex vesica optime mundata, ita ut liquidi duodecima circiter pars primum in excipulum stillans rejiciatur, deinde destillatio tamdiu continuetur, donec totius aquae adhibitae tres fere quadrantes in excipulum transmissae fuerint.

71. Aqua Foeniculi.

Paretur e seminibus Foeniculi contusis, ut Aqua Anisi.

72. Aqua Fragorum.

℞. **Fragorum maturorum** *libram unam,*
Aquae communis *libras octo;*
abstrahe *libras quatuor.*

73. Aqua Juniperi.

Paretur e baccis Juniperi maturis contusis, ut Aqua Anisi.

74. Aqua Kreosoti.

℞. **Kreosoti**	*grana viginti,*
solve agitando in:	
Aquae destillatae	*unciis quatuor.*

Filtratum exhibe.

Ex tempore paranda.

75. Aqua Lavandulae.

Paretur e floribus Lavandulae siccatis, ut Aqua Chamomillae.

† 76. Aqua Laurocerasi.

℞. **Foliorum Laurocerasi recentium conscissorum**	*libram unam,*
Aquae communis	*libras tres;*
abstrahe	*libram unam.*

Oleo deposito per conquassationem soluto, serva in lagenulis e vitro nigro, vel nigro obductis, bene obturatis, in loco frigido.

Aqua subturbida, odore et sapore penetrante Amygdalarum amararum, ejus concentrationis, ut uncia una ad minimum tria grana Argenti cyanati praebeat.

77. Aqua Melissae.

Paretur e foliis Melissae siccatis, ut Aqua Chamomillae.

78. Aqua Menthae crispae.

Paretur e foliis Menthae crispae siccatis, ut Aqua Chamomillae.

79. Aqua Menthae piperitae.

E foliis Menthae piperitae siccatis paretur, ut Aqua Chamomillae.

80. Aqua Persicae foliorum.

℞. **Foliorum Persicae recentium** *libram unam.*
Aquae communis *libras octo;*
abstrahe *libras quatuor.*

Servetur in lagenis vitreis nigro obductis, bene clausis, loco frigido.

81. Aqua Petroselini.

Paretur e radice Petroselini cum herba recenti, ut aqua Cochleariae.

† 82 Aqua phagedaenica decolor.

Liquor mercurialis.

℞. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *grana sedecim,*
Ammonii chlorati depurati *drachmam unam,*
Aquae destillatae *libras quatuor.*

Solve, filtra et serva in lagena vitrea.

† 83. Aqua phagedaenica lutea.

℞. **Hydrargyri bichlorati corrosivi** *drachmam unam,*
Aquae calcis *libram unam.*

Misce. Ex tempore paranda.

† 84. Aqua plumbica.

Aqua saturnina. Plumbum aceticum basicum solutum dilutum.

℞. **Aquae destillatae** *libram unam,*
Plumbi acetici basici soluti *drachmas duas.*

Ex tempore paretur.

85. Aqua Rosarum.

℞. **Florum Rosarum sale conditorum** *libram unam,*
Aquae communis *libras octo;*
abstrahe *libras tres.*

86. Aqua Rutae.

Paretur ex herba Rutae siccata, ut Aqua Chamomillae.

87. Aqua Rubi Idaei.

Paretur e baccis Rubi Idaei recentibus, ut Aqua Fragorum.

88. Aqua Salviae.

Paretur e foliis Salviae siccatis, ut Aqua Chamomillae.

89. Aqua Sambuci.

Paretur e floribus Sambuci siccatis, ut Aqua Chamomillae.

90. Aqua Tiliae.

Paretur e floribus Tiliae siccatis, ut Aqua Chamomillae.

91. Aqua Valerianae.

Paretur e radice Valerianae siccata, ut Aqua Chamomillae.

†92. Aqua vegeto-mineralis Goulardi.

Aqua Goulardi.

℞. **Plumbi acetici basici soluti**	*drachmas duas,*
Aquae communis	*libram unam,*
Spiritus vini rectificati diluti	*unciam unam.*

Ex tempore paretur.

93. Aqua vulneraria acida Thedenii.

Aqua Thedenii.

℞. **Aceti crudi**	*libras tres,*
Spiritus vini rectificati	*libram unam et dimidiam,*

Acidi sulfurici diluti *libram dimidiam,*
Mellis despumati *libram unam.*
Misce et filtratum serva.

94. Aqua vulneraria spirituosa.
Aqua vulneraria cum alcohole.

℞. **Florum Lavandulae**
Herbae Hyssopi
„ **Origani**
„ **Rutae**
„ **Serpylli**
Foliorum Melissae
„ **Menthae crispae**
„ **Rosmarini**
„ **Salviae** *aa unciam unam,*
concisis affunde:
Spiritus vini rectificati *uncias decem,*
Aquae communis *libras duodecim.*
Post macerationem duodecim horarum abstrahe *libras decem.*

95. Argentum foliatum.

Argentum in lamellas tenuissimas ductum.
Ne sit metallis alienis inquinatum.

†96. Argentum nitricum crystallisatum.
Nitras Argenti.

℞. **Argenti puri** *q. v.*
solve leni igne in:
Acidi nitrici diluti puri *quantitate sufficiente.*

Solutionem decolorem filtra, evapora, et ad crystallos formandas in locum frigidum sepone.

Muriam iterato evapora, donec crystalli non amplius concrescant.

Crystallos cum pauxillo aquae destillatae ablutas et siccatas in vitro serva.

Crystalli tabulaeformes, inodorae, neutrae, saporis metallici amaricantis, in aëre non mutantur, leni igne liquefiunt, aucto destruuntur, materies organicas colore nigro inquinant et destruunt, in aqua et spiritu vini facile solvuntur.

Sint liberae ab omni oxydo metallico alieno.

†97. Argentum nitricum fusum.
Lapis infernalis.

℞. **Argenti puri** *q. v.*
Solve leni igne in:
Acidi nitrici diluti puri *quantitate sufficiente.*

Solutionem leni igne evapora in vase porcellaneo ad siccitatem, dein ignem sensim auge, donec olei instar fluxerit, et liquidum modulo ferreo prius bene mundato et calefacto infunde, ut refrigeratione baccillorum formam habeat.

Baccilli in vase bene clauso servandi sint albi vel cinerescentes, fractura crystallina e centro radiata, caeterum eosdem characteres exhibeant cum Argento nitrico crystallisato.

98. Argentum purum.

℞. **Argenti** *q. v.*
solve in:
Acidi nitrici diluti puri *quantitate sufficiente.*
Solutionem dilue cum:
Aquae communis *q. s.*
Deinde instilla:
Acidum hydrochloricum crudum,
quamdiu praecipitatum album gignitur, quod aqua destillata calida perfecte edulca, edulcato affunde:
Aquae destillatae,
cum parva quantitate
Acidi hydrochlorici mixtae, *q. s.*
ut praecipitatum bene obtegatur, et adde immergendo lamellam ferri puri. Stent tamdiu, donec praecipitatum album in colorem cinereum penitus mutetur.

Deinde lamella ferri separata, Argentum praecipitatum primum cum parva quantitate acidi hydrochlorici diluti et postea cum aqua destillata penitus edulcetur.

Argentum purum inde prodiens sicca.

Est pulvis nigro-cinereus.

Sit liberum a metallis alienis.

†99. Arsenicum album.

Acidum arsenicosum. Oxydum Arsenici album.

In officinis metallurgicis paratum, prostat in massis compactis, ponderosis, albis, vel pellucidis, vel opacis, inodoris, difficile in aqua solvendis, calore fumum album emittentibus, super prunas odorem alliaceum spargentibus.

Venenum perniciosissimum, caute prae caeteris servandum, et quidem sub domini clave, loco a reliquis pharmacis plane remoto.

100. Asa foetida.

Gummiresina Asae foetidae.

Succus lacteus solis calore induratus, e radice stirpis vulnerata *Ferulae asae foetidae* Linn. ex *Umbelliferarum* ordine, in Persia meridionali crescentis, collectus.

Sistit glebas e granis variae magnitudinis, sublucidis, ochroleucis, albidis, roseo-fuscis, purpurascentibusque compactas, odoris vehementissime alliacei, saporis peculiaris, cum aliqua acredine leviter amaricantis.

Frigore in pulverem lutescentem friabilis, calore tenax, subglutinosa, sub digitis lentescens. Cum aqua fontana liquorem lacteum praebet, in spiritu vini ultra dimidiam partem solvatur.

Pulvis hieme tritus, et ab immixtis quisquiliis ope cribri setacei ad hoc destinati purgatus, servetur intra chartam loco non nimis calido et sicco.

†101. Atropinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Exhibet crystallos albas, tenuissimas, plerumque in glomerula con-

volutas, Chinino sulfurico vix dissimiles, saporis amarissimi acris. In temperatura 90° C. liquescit, in temperatura 140° C. ex parte sublimatur, in aquae fervidae partibus tercentis, in viginti quinque partibus aetheris, facillime in alcohole solvitur. Solutio aquosa fortiter alcaline reagit.

Sit ab inquinamentis purum.

† 102. Aurum natronato-chloratum.

Aurum natronato-muriaticum. Murias Auri et Sodae.

℞. **Auri puri** *drachmam,*
solve in
Aquae regiae *s. q.*
Solutionem in balneo aquae ad siccum evapora, tunc admisce:
Natrii chlorati *grana octodecim.*
Mixtionem solve in
Aquae destillatae *sufficiente quantitate.*

Iterum in balneo aquae ad siccum evapora, contere, et in vase vitreo optime clauso in locum obscurum repone. Sit pulvis aurantiacus, in aëre haud mutabilis, saporis metallico-acris, in igne candente praeter aurum sal relinquens.

In decem granis circiter quinque grana auri puri, vel circiter octo grana auri chlorati continet.

103. Aurum praecipitatum purum.

℞. **Auri** *q. v.*
solve in
Aquae regiae *q. s.*
solutionem evapora leni calore fere ad siccum. Tunc solve in
Aquae destillatae *sufficiente quantitate,*
filtra, praecipita cum
Solutione Ferri sulfurici puri frigide et ex tempore parata.
Praecipitatum digere primo cum:
Acido hydrochlorico diluto,
dein cum:

Aqua destillata
bene eduleatum sieca.

Sit a metallis alienis liberum.

104. Axungia porcina.

Pinquedo e mesenterio *Suis Scrofae* Linn. a partibus membranaceo-eellulosis leni ealore separata et aqua elota, unguenti fere eonsistentia, homogenea, nivea, inodora, saporis blandi.

105. Baccae Ebuli.

Fruetus baecati reeentes *Sambuci Ebuli* Linn. suffrutieis ereeti, in ruderatis subsylvatieis Europae mediae crescentis, ex *Caprifoliacearum* ordine, mensibus Septembris et Oetobris apud nos maturi, subglobosi, apice depresso umbilicati, epidermide nigrieante, nitidula, glabra; parenehymate sueeulento, violaeeo-rubro; odore nauseoso; sapore aeidulo amaro.

Cave, ne baecae immaturae eolligantur, vel nimis maturae, parenehymate fere exsuceo, maturis nimis multae sint admixtae.

106. Baccae Juniperi.

Galbuli earnosi siecati *Juniperi communis* Linn. fruticis apud nos monticoli, e *Coniferarum* ordine, globosi, pisi magnitudine, apiee gibbis tribus notati; integumento exteriore in reeentibus nigro-violaeeo nitido, in sieeatis nigro; parenchymate pulposo, bruneo, demum spongioso; odore grato balsameo; sapore subdulei et eum aliqua amaritudine aromatico.

107. Baccae Lauri.

Lauri nobilis Linn. arboris Europae australis ex ordine *Laurinearum* baceae maturae exsiceatae, eerasi magnitudine, ovatae, fuseonigrae, rugoso-reticulatae, monospermae. Odor peculiaris laurinus, sapor amarus eum modieo aromate.

108. **Baccae Mori.**

Fructus carnosi (syncarpia) *Mori nigrae* Linn. arboris apud nos passim cultae, e *Morearum* ordine, conico-subglobosi; e baccis spuriis plurimis inter se connatis, nigrescentibus, nitidis, parenchymate succulento, grate acidulo gravibus, compositi.

109. **Baccae Phytolaccae.**

Phytolaccae decandrae Linn. plantae *sui ordinis* in America boreali indigenae, nunc in Europa calidiore efferatae et cultae baccae atro-violaceae, succo purpureo scatentes, globoso-depressae, decemsulcatae.

110. **Baccae Ribis.**

Fructus carnosi recentes *Ribis rubri* Linn. fruticis hortensis e *Ribesiacearum* ordine, cuivis noti, globosi, vertice umbilico emarcido notati; epidermide subdiaphana, rubra, glabra, parenchymate succulento rubro, subdulci, acidulo-vinoso scatente.

111. **Baccae Rubi Idaei.**

Fructus baccati *Rubi Idaei* Linn. fruticis e *Rosacearum* ordine, apud nos silvestris et etiam in hortis culti, ex acinis monospermis, succulentis, in conum hemisphaericum, basi cavum collectis, compositi; acinorum epidermide rubra, subpruinosa; parenchymate suaveolente, e dulci grate acidulo.

Baccae fruticis silvestris majorem acidi et aromatis copiam, cum minori sacchari quantitate continentes, hortensibus praeferendae.

112. **Baccae Sambuci.**

Fructus baccati recentes *Sambuci nigrae* Linn. arbusculae e *Caprifoliacearum* familia ubique apud nos obviae, Septembri et Octobri mensibus maturi; epidermide violaceo-nigricante, odore singulari et sapore grate acidulo a baccis Sambuci Ebuli facillime distinguendi.

†113. Baccae Spinae Cervinae.

Baccae maturae recentes *Rhamni cathartici* Linn. fruticis nostratis sylvestris, e *Rhamnearum* ordine, Octobri maturae, globosae, pisi fere magnitudine, laeves, nitidae, bitetraspermae, epidermide nigra, parenchymate rubro, sapore amaro-acri.

114. Balsamum Copaivae.

Succus aethereo-resinosus, ex incisis truncis arborum Americae meridionalis imprimis Brasiliae interioris, generis *Copaifera* Linn. ordinis *Caesalpinearum*, effluens, pellucidus, flavus, olei pinquis consistentia, odoris proprii, fragrantis, saporis cum aliqua acredine amaricantis, inflammabilis, in spiritu vini rectificato, aethere et oleis penitus solubilis.

Nec Terebinthina nec oleis pinguibus adulteratum sit.

115. Balsamum peruvianum nigrum.

Succus aethereo-resinosus, e *Myrospermi pubescentis* Ruiz, arboris e *Papilionacearum* ordine, Americae tropicae australis, cortice laeso effluens, nigro-fuscus, in guttis singulis fusco-ruber, diaphanus, syrupi instar lentus, tactu digitos inquinans, vix tenax, in aëre minime siccescens, odoris gratissimi, qualem fere Vanilla et Benzoë redolent, saporis aromatici, subamari et acris diu haerentis.

Solvitur fere in spiritus vini rectificati partibus quinque, cum aqua destillatum oleum aethereum non praebet, flammae admotum minime ardet, aquae injectum subsidet.

Merx genuina a plurimis modis adulterata, characteribus indicatis facile distinguitur.

116. Balsamum vitae Hoffmanni.

℞. **Olei Lavandulae**
„ **Majoranae**
„ **Citri** — *āā scrupulum unum,*
„ **Caryophyllorum**

Olei Macidis	
„ **Succini rectificati**	*aa scrupulum dimidium.*
„ **Cinnamomi**	*guttas quinque,*
Balsami peruviani	*drachmam dimidium,*
Spiritus aromatici	*libram unam.*

Stent in digestione per aliquot dies, dein miscela bene saturata filtretur et servetur.

† 117. Baryum chloratum.

Baryta muriatica. Terra ponderosa salita.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sint crystalli albae, tabulaeformes vel lamellares, saporis cum notabili acredine acerbi, in aëre non mutentur, in aquae frigidae partibus duabus et dimidia, in fervidae una et dimidia parte solvantur, in alcohole insolubiles.

Sint a Calce, Strontiano et omni inquinamento metallico liberae.

118. Benzoë.

Resina Benzoës. Asa dulcis.

Resina indurata, e *Styracis Benzoin* Dryand. arboris e *Styracinearum* ordine, in insulis Sumatra et Borneo crescentis, cortice ad lignum usque inciso manans; adfertur in frustulis albis, adiposo-splendentibus, solutis vel substantia rubro-fusca compactis, partim pellucidis, partim luci imperviis, odoris imprimis dum calefit gratissimi, saporis subdulcis pungentis.

In spiritu vini rectificato facile solubilis, relictis partibus heterogeneis admixtis, quibus plus minus inquinata est.

119. Bismuthum.

Marcasita.

E mineris Bismuthi in officinis metallurgicis liquatum massas exhibet amorphas structura foliacea, vel crystallos regulariter octaedricas, rubicundo-exalbidas, metallice nitentes, gravit. specific. 9,822.

Solvitur in acido nitrico, igne leni liquescit, et facile in pulverem redigitur.

† 120. Bismuthum subnitricum.

Bismuthum nitricum praecipitatum. Magisterium Bismuthi.

℞. **Bismuthi pulverati** *libram unam,*
Kali nitrici depurati *unciam unam.*

Misce et in crucibulo inter agitandum per quadrantem horae leni igne fluant.

Metallum in aquam effusum a scoriis separa.

Nunc ingere in cucurbitam vitream

Acidi nitrici concentrati *uncias quatuor et dimid.*

et immitte sensim

Bismuthi ut supra depurati et grosse tusi *uncias duas, vel quantum in acido leni calore solvitur.*

Solutionem decantatam misce cum

Aquae destillatae *libris duodecim.*

Praecipitatum inde ortum filtrando separa, et cum

Aquae destillatae frigidae *parva quantitate*

ablutum leni calore loco umbroso sicca.

Sit pulvis albissimus, subcrystallinus, inodorus, acido nitrico diluto sine effervescentia solubilis.

Sit ab arsenico liberum.

121. Bolus armena.

Argillae species, ferro oxydato gravis, ex insula Lemnos (Stalymene), occurrit in frustis amorphis fusco-rubris, levibus, tactu pinguibus, digitos inquinantibus, odoris argillacei, saporis terreo-subausteri. Aquae immersa cum strepitu dissiliat et cum acidis non effervescat.

122. Bulbus Allii.

Bulbus *Allii sativi* Linn. plantae *Liliaceae* ubicunque cultae, subrotundus; epidermide chartacea, alba, parenchymate albo, carnoso, scatente succo mucilaginoso sublactescente, odoris peculiaris vehementis notissimi, saporis cum aliqua dulcedine acris.

† 123. Bulbus Colchici.

Bulbus recens *Colchici autumnalis* Linn. plantae e *Melanthacearum* ordine in pratis subsylvaticis ubique apud nos crescentis, solidus, subconicus, hinc convexus inde planus, et sulco profundo bulbillum floriferum excipiente exaratus, tunicis subcoriaceis flavo-fuscis involutus, intus albus, odoris inamoene raphanacei, saporis amaricanti-dulcis, acris.

Collige bulbos tempore plantae florentis, et adhuc recentes, a tunicis et adhaerentibus fibris radicalibus purgatos, ad praeparanda pharmaca adhibe.

† 124. Bulbus Scillae.

Bulbus *Scillae maritimae* Linn. plantae ex ordine *Liliacearum*, in Europae mediterraneae littoribus crescentis, pugni mole, ovato-ventricosus, e tunicis imbricatis, rubris vel albidis, scabiosis, basi carnosis, placentam centralem solidam ambientibus formatus.

Servatur recens, arena tectus, loco frigido; vel habentur squamae in aëre siccatae, fragiles, in vitris clausis.

Recens incisione auram spargit acrem, lacrymas elicientem, saporem habet acrem, insigniter amarum; succus cuti illinitus erythema excitat. In squamis siccis saporis amaritudo praevalet.

125. Butyrum Cacao.

Oleum Cacao unguinosum.

℞. Seminum Cacao *q. v.*
leniter tosta, decorticata et mundata contere in mortario ferreo calefacto, donec in pulticulam tenuem redacta sint, quam in sacculis e charta bibula alba vel linteo densiori confectis inclusam, inter preli torcularis laminas calefactas fortissime exprime.

Oleum leni calore liquatum et per chartam bibulam albam filtratum, in capsulas papyraceas, vel ferreas stanno inductas, effunde, frigefactum loco frigidiusculo serva.

126. Butyrum recens.

Pinquedo cremoris lactis vaccini, probe subacti, recens, sine sero inhaerente, minime salsa, neque pigmentis colorata.

Sit odoris expers, saporis blandi.

127. Calcaria carbonica cruda.
Creta alba.

Eligatur albissima, non nimiam terrae siliceae vel aluminae admixtam copiam habens.

128. Calcaria carbonica depurata.
Creta depurata.

℞. **Calcariae carbonicae crudae pulverat.** *q. v.*
misce cum
Aquae communis fervidae *s. q.*
et stet per horam, ut creta subsideat.

Decantata aqua eadem operatio bis terve repetatur, deinque elutrietur creta, ut a particulis arenosis mundetur et exsiccetur.

Sit pulvis niveus, subtilissimus, insipidus.

129. Calcaria caustica.
Calx viva. Calcium oxydatum.

Sit alba, aqua inspersa calefiat et in pulverem subtilissimum dilabatur.

Recens usta servetur in vase optime clauso.

Substantiis heterogeneis nimis inquinata rejiciatur.

130. Calcaria chlorata.
Calcaria oxymuriatica. Calcaria hypochlorosa.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit pulvis albus, chlorum redolens, saporis amaro-styptici, humorem lente attrahens, in aqua e parte solubilis.

Servetur in vasis vitreis bene clausis, a luce remotis.

131. Calcaria phosphorica.

℞. **Calcii chlorati fusi** *uncias sex,*
solve in
Aquae destillatae *libris quatuor.*
Liquori filtrato adde solutionem ex
Natri phosphorici crystallisati *unciis quadraginta*
et
Aquae destillatae fervidae *libris septem.*

Praecipitatum inde natum in filtro collectum, aqua destillata bene ablutum et siccatum serva.

Sit pulvis albissimus, in aqua insolubilis, a metallis alienis purus.

132. Calcaria sulfurata.

Hepar Sulfuris calcareum. Sulfuretum Calcis.

℞. **Calcariae causticae**
Sulfuris citrini *āā libram.*

In pulverem redacta et mixta ingerantur in crucibulum figulinum operculo tegendum et per quadrantem horae fortiter incandescant. Crucibulo refrigerato summum stratum caute remove et massam flavescentem cito pulveratam in vase bene clauso serva.

133. Calcium chloratum.

Calcaria muriatica. Murias Calcis. Hydrochloras Calcariae.

Sal ex residuo praeparationis Ammoniae purae extractum, solvatur in sufficiente quantitate aquae, filtretur et evaporetur ad perfectam siccitatem. Massa sicca illico candefiat in crucibulo Hessiano, donec olei instar fluat. Tum effundatur in lapidem calefactum et bene mundatum. Refrigerata servetur in vasis optime clausis.

Sit massa solida, albescens, structurae fibrosae, saporis amaro-acris, calefacientis. In aëre deliquescit, facillime solvitur in aqua et spiritu vini.

134. Camphora.

Stearoptenum olei aetherei, e trunco, ramis et foliis *Camphorae*

officinarum Nees (*Lauri Camphorae* Linn.) arboris e *Laurinearum* familia, in China et Japonia ope destillationis paratum, et in officinis chemicis Europae sublimatione purgatum, occurrit in placentis orbicularibus, supra convexis, subtus concavis.

Massa alba, crystallina, diaphana, levis, pinguiuscula, odoris penetrantis, admodum peculiaris, saporis aromatici, amaricantis, primum caloris, tum frigoris sensum in ore excitans, friabilis, difficulter tamen et nonnisi cum guttulis aliquot spiritus vini adspersa in pulverem redigenda, temperatura ordinaria volatilis.

In vasis optime clausis servanda.

135. Candelae fumales.

Pastilli fumales.

℞. **Pulveris Carbonum ligni depurati**	*libras quinque,*
Olibani	
Mastiches	
Benzoës	*āā libram dimidiam,*
Corticis Cascarillae	*uncias duas,*
Kali nitrici depurati	*uncias quatuor.*
Misce, et cum	
Mucilaginis Gummi Tragacanthae	*sufficiente quantitate*

fiat massa, e qua formentur lege artis candelae.

† 136. Cantharides.

Muscae hispanicae.

Lytta vesicatoria Fabr. (*Meloë vesicatorius* Linn.) insectum *Coleopterum* in maxima Europae et Asiae occidentalis parte obvium, passimque apud nos annis calidioribus mensibus Junio et Julio potissimum Fraxinos, Ligustra et Syringas gregatim depascens, totum ex aureoviridi splendens, antennis nigris, filiformibus, mollibus, coriaceis, odoris admodum ingrati, saporis initio parum manifesti, deinde acerrimi.

Cantharides igne leni, optime tamen siccatae, in vasis optime clausis servandae, et ab anobiis acarisque, quibus facile corrumpuntur, cautius defendendae.

†137. Capita Papaveris.
Capsulae Papaveris.

Capsulae *Papaveris somniferi* Linn. plantae *Papaveraceae* opiiferae, apud nos passim cultae, ante plenam maturitatem, quamdiu ex incisione succus lacteus manat, collectae, et leni igne siccatae, nucis Juglandis magnitudine, subglobosae vel ovato-oblongae, glabrae, saepe glauco-pruinosae, coronatae stigmate sessili, disciformi, lato, decemradiato, sub stigmate poris decem apertae, saporis nauseoso-amari.

138. Carbo ligni depuratus.
Carbo vegetabilis.

℞. **Carbonum ligni Pini tusorum** *q. v.*
Coque saepius agitando in
Aquae fontanae *sufficiente quantitate.*
Post exsiccationem excandescat in vase ferreo bene clauso, cujus operculum foramine parvo pervium est, donec vapores et fumos emittere cessaverit, tum illico in vas bene clausum reponatur.

139. Carbo ossium.
Cornu cervi ustum nigrum. Ebur ustum. Spodium.

Praeparatum venale. Occurrit in frustis ossium Mammalium forma, vel in pulverem redactus.

Pro usu lavetur saepius aqua fervida.

Sit coloris saturate nigri, nec in aqua bulliente liquidum sordide flavum praebeat.

140. Carbo spongiae.
Spongia usta.

℞. **Spongiae marinae (strumalis dictae) a lapidibus et partibus heterogeneis bene purgatae** . *q. v.*

Uratur in crucibulo tecto, donec fumus per commissuras exire cesset. Carbo ex frigefacto crucibulo exemtus, et in pulverem subtilem tritus, servetur.

141. Carragheen.

Lichen Carragheen. Muscus Carragheen.

Sphaerococcus crispus Agardh. (*Fucus crispus* Linn.) Alga ad maris atlantici littora Europae frequens, e *Floridearum* ordine, fronde cartilaginea, plana, dichotoma, marginibus crispa, recens rubra vel subviridis, siccatione cornea, sordide luteo-alba. In aqua fervida solvitur in gelatinam Bassorinae similem, Jodi vestigia continentem.

142. Caricae.

Ficus Caricae Linn. arboris ex ordine *Morearum*, in Europa australi et Asia mediterranea passim cultae, receptacula fructifera pyriformia, siccata et in formam orbicularem compressa, albo-flaventia, pulverulenta, pulpa viscidula, fructus exiguos lenticulares includente, repleta.

Caricae nigrescentes, exsuccae, fere insipidae vel acidulae, odoris inamoeni, vel ab insectis corrosae rejiciantur.

143. Caryophylli.

Caryophylli aromatici Linn. arboris ex ordine *Myrtacearum*, in insulis Moluccis indigenae, nunc inter tropicos totius orbis cultae, flores ante corollae expansionem decerpti, in aqua fervente necati et in sole siccati, claviculos referunt unguiculares obscure ferrugineos, ex hypanthio compositos cylindrico subtetragono, calycis laciniis quatuor lanceolatis erectis coronato, et e corolla tetrapetala clausa, sphaerulae minutae forma.

Sint obscure ferruginei, ponderosi, odoratissimi, saporis acri-aromatici, triti oleum aethereum sudantes.

144. Cassia Fistula.

Cassiae Fistulae Linn. arboris *Caesalpinaceae* indicae, in Africa et America cultae, lomenta pedalia et longiora subcylindrica, pollicis

circiter diametro, furva vel nigricantia, laevia, nitida, sublignosa, indehiscentia, septis transversis lignosis, in loculos divisa plurimos monospermos, praeter semen disciforme durissimum includentes pulpam atram, dulcem, semen ambientem et figentem.

Lomenta pulpa penitus exsiccata, agitatione sonum edentia, in mercando rejice.

145. Castoreum.

Substantia animalis unguinosa, oleoso-resinosa sui generis, in organis secernentibus folliculosis cum praeputio communicantibus, in *Castoris Fibri* Linn. animalis *Mammalis palmipedis*, in Europae et Asiae borealis fluviis et lacubus viventis, tam marium quam feminarum abdomine inter anum et genitalia sitis, contenta.

Castoreum ex animali in veteri orbe degente unice adhibendum. optime apud nos e Castore Danubii et Albis ripas, tum minores fluvios et lacus in Austria, Bohemia et Hungaria sparsim tamen accolente obtinetur, deficiente vero mera indigena ex Polonia et Russia (Castoreum moscoviticum) emendum est. Sistit folliculos geminos, magnitudinis plus minus inaequalis, quandoque cum folliculis duobus minoribus, massam unguinosam (axungiam Castorei) continentibus junctos, plerumque adhuc inter se connexos, e pyriformi ovatos, obtusos, ovi gallinacei ad pugni fere molem, ita ut longitudo latitudinem duplo circiter superet, glabros, turgidos, parum compressos, et ad gradum exsiccationis plus minus molles vel duros. Folliculus quisque constat e membranis quatuor, duabus externis tenacioribus, integumentum formantibus, et duabus intimis in processus plures irregulares, plicatos productis, quarum ultimarum plicis substantia officinalis adhaeret; massa primum mollis, post exsiccationem tandem pulverulento-sicca et friabilis, coloris obscure hepatici vel nigro-fusci, opaca, odoris proprii gravis, saporis resinoso-subacris, amaricantis.

Castorei genuini solutio alcoholica aqua instillata lactescit, et addito pauxillo Ammoniae purae liquidae iterum fit clarior.

Castoreum americanum seu canadense, etiam anglicanum dictum, e Castore americano Richards. in America boreali gregatim vivente collectum, rejice.

Folliculi sunt multo minores, fere oblongo-cuneiformes, compressi, rugosi, integumento tenui, subpapyraceo, in lamellas haud separabili, praediti; ceterum substantia minus odora, saporis magis amari.

Cave a folliculis factitiis, massa resinosa repletis.

146. **Catechu.**

Succus Catechu. Terra japonica.

Extractum siccum, e ligno *Mimosae Catechu* Linn. et *Acaciae* complurium specierum, arborum *Mimosearum*, in India orientali paratum, adfertur in placentis obscure-fusco-rubicundis, fractura strata plura, obscuriora cum pallidioribus alternantia exhibentibus.

Odor nullus, sapor admodum adstringens subdulcis.

Sit in spiritu vini diluto maxima ex parte solubile, et cum Liquore ferri chlorati colore griseo-viridescente, nec autem coeruleo-nigro turbetur.

147. **Cera alba.**

Cera flava per apricationem sub frequenti cum aqua adspersione colore flavo orbata, sistit ceram albam, magis duram, fragiliorem, minus odoram.

148. **Cera flava.**

Favorum ab *Api mellifica* Linn. insecto *Hymenoptero* exstructorum substantia solida, expressione et coctione cum aqua melle privata, calore liquata, colata et refrigerata, solida, parum tenax, manus calore glutinosa, frigore fragilis, odoris mellei.

149. **Ceratum Cetacei.**

Emplastrum Spermatis Ceti.

℞. **Cerae albae**
Sebi ovilli — *āā libram unam,*
Cetacei
Axungiae porcinae — *āā libram dimidiam.*

Leni igne colliquefacta et colata effunde in capsulas chartaceas.
Sit coloris albissimi, minime rancidum.

150. Ceratum citrinum.
Emplastrum citrinum.

℞. **Terebinthinae**
Sebi ovilli — *āā libram dimidiam,*
Resinae Pini — *libram unam,*
Cerae flavae — *libras duas.*

Colliquefacta et colata effundantur in tabulas.

151. Ceratum fuscum.
Unquentum fuscum.

℞. **Emplastri diachyli simplicis** — *libram unam.*

Coque perpetua agitatione, donec massa colorem nigro-fuscum acceperit, deinde adde:

Cerae flavae
Sebi ovilli — *āā uncias quatuor,*
Axungiae porcinae — *uncias sex.*

Humido consumto effunde in tabulas.

152. Ceratum ad labia flavum.
Unguentum labiale.

℞. **Butyri recentis** — *libras duas,*
Passularum minorum — *uncias quatuor,*

cum

Aquae fontanae — *s. q.*

redige in pultem molliorem, et coque leni igne ad humidi consumtionem, deinde per linteum trajice et adde:

Cerae flavae — *uncias octo.*

Colata et semirefrigerata effunde in capsulas chartaceas.

153. Ceratum ad labia rubrum.

℞. **Butyri recentis** — *libram unam,*
Passularum minorum — *uncias duas.*

cum

Aquae fontanae *s. q.*
in pultem molliorem redige et eoque leni igne ad humidi consumtionem, dein per linteum trajice et adde:

Radicis Alkannae *unciam dimidiam,*
Cerae albae *uncias quatuor.*

Fluant leni calore et colata effundantur in capsulas chartaceas.

154. Cetaceum.

Sperma Ceti.

Substantia animalis pinguis sui generis, in cavis occipitis ductuque subcutaneo dorsali *Physeteris macrocephali* Linn. animalis *Cetacei* contenta, elotione a sanguine depurata et ab oleo inhaerente liberata.

Venalis sistit massam albissimo-nitentem, lamellosam, subpellucidam, tactu lubricam, friabilem, odoris et saporis fere expertem. Liquescat temperatura 40^0 R.

Cetaceum flavidum, rancidum rejice.

155. Chininum citricum.

℞. **Chinini sulfurici** *q. v.*
solve in:

Aquae destillatae *partibus viginti,*
addendo

Acidi sulfurici diluti *guttas aliquot,*
solutioni instilla

Ammoniae purae liquidae *q. s.*
ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum subsidendo depositum in filtro collectum, et cum

Aquae destillatae *minima quantitate*
lotum,

Acidi citrici
solutione saturetur. Liquor evaporando redigatur in crystallos, quae siccatae serventur.

Sint crystalli albae, tenues, aciculares, saporis amari, in aqua parum solubiles, ab inquinamentis purae.

156. Chininum hydrochloricum.
Chininum muriaticum.

℞. Chinini sulfurici *unciam unam,*
solve in:
Aquae destill. bullientis *unciis quadraginta.*
Misce cum solutione ex
Baryi chlorati *drachmis duabus et granis novem,*
nec non
Aquae destill. fervidae *uncia una*
parata.

Miscela ebulliat per quadrantem horae, dein filtrando separetur a Baryta sulfurica, quam aqua fervida ablues.

Liquor filtratus lenissimo calore evaporando et refrigerando in crystallos redigatur, quae iterata crystallisatione depurentur.

Sint crystalli albae, aciculares, sericeo-nitentes, admodum amarae, in aquae bullientis partibus viginti solubiles. Sint a Chinino sulfurico, Baryo chlorato et aliis inquinamentis purae.

157. Chininum sulfuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Crystallos exhibet tenuissimas, levissimas, aciculares, niveas sericeo-nitentes, subflexiles, saporis admodum amari, solvitur in 750 part. aquae frigidae et 30 part. fervidae, in spiritus vini rectificatissimi 60 partibus, in aethere vix solubiles, in aëre sicco et leni calore fatiscentes. Cum aqua addito pauxillo acidi sulfurici diluti liquorem limpidum, coeruleo-opalescentem praebeat. Acido sulfurico concentrato madefactarum color albus in temperatura ordinaria vix mutatur.

Ne sint inquinatae cum Gypso, Creta, Magnesia, acido boracico vel stearico, Saccharo, Amylo, Mannito, Cinchonino vel Salicino.

†158. Chloroformium.

℞. Calcariae chloratae *libras decem,*
Aquae communis *libras quindecim.*

Misce exactissime in vesica sat ampla in pultem aequabilem, dein affunde mixtelam ex

Spiritus vini rectificatissimi *libra una*

et

Aquae communis *libris duabus.*

Adaptato alembico et juncturis bene clausis fiat destillatio balneo aquae in excipulum optime refrigeratum, donec librae circiter duae transierint.

Chloroformium aqua gravius ab ea separa et iteratis vicibus aqua lotum cum Acido sulfurico anglicano tamdiu conquassa, donec jam non coloretur. Ab acido separatum et cum solutione Natri carbonici diluta lotum rectifica balneo aquae super Calcium chloratum.

Liquor servetur in vasis optime clausis.

Sit decolor, limpidus, reactionis neutrius, odoris peculiaris grati, saporis subdulcis reficientis, in aqua parum, facile in aethere et alcohole solubilis, non inflammabilis. Grav. sp. 1,49. Punctum ebullitionis 63,5° C.

Sit ab aqua, alcohole, acido sulfurico vel hydrochlorico, empyreumate et aliis inquinamentis purus.

159. Cinchoninum sulfuricum.

Praeparatum officinarum chemicarum, exhibet crystallos majores, columnares, rectangulas, duras, Chinino sulfurico mitius amaras. Solvitur in aquae frigidae sexaginta et in spiritus vini rectificatissimi septem partibus, in aethere insolubile.

160. Coccionella.

Cocci Cacti Linn. insecti *Hemipteri* in regionibus Mexicanis viventis, Opuntiam coccionelliferam aliasque Opuntiae species inhabitantis femellae siccatae, granula referunt atro-purpurea, pruina alba adspersa, striis griseis transversis rugosa, succo purpureo turgida.

161. Collodium.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sit liquor submucilaginosus, semipellucidus, reactionis neutrius.

In vitro optime clauso servetur.

162. Colophonium.

Resina e residuo destillationis olei Terebinthinae liquatione obtenta, compacta, friabilis, rubro-fusca, nitens, subdiaphana, pulverem praebet subflavo-album, in spritu vini, oleis et aethere solubilem. Odor et sapor resinoso-terebinthaceus, debilis.

163. Conchae marinae.

Ostreae edulis Linn. animalis *Mollusci acephali* in maribus Europae degentis, notissimi, conchae orbiculares, iniquivalvae.

164. Conchae praeparatae.

Conchae marinae coquantur cum aqua communi, et scopis ab adhaerentibus quisquiliis mundatae, bene ablutae et siccatae, redigantur in pulverem, qui laevigatus servetur.

165. Conserva Rosarum.

℞. **Florum Rosarum rubrarum recentium** *libram dimidiam.*
Contundantur in mortario lapideo in pultem, cui paulatim sub continua tusione admisce:

Sacchari albi *libram unam,*

in

Aquae Rosarum *unciis quatuor*

soluti, ut fiat lege artis Conserva.

166. Corallium rubrum.

Isidis nobilis Linn. *Corallineae* polyparium notissimum, venale, ab inquinamentis heterogeneis, quibus incrustatum esse solet, mundatum et in pulverem redactum servetur.

167. Cortex Aurantiorum.
Malicorium Aurantii.

Citri Aurantii Linn. arboris in regionibus calidioribus totius orbis cultae fructuum maturorum cortex detractus et siccatus, e strato

exteriore glanduloso-rugoso, fulvo, oleo aethereo scatente, aromatico (**flavedo corticis Aurantiorum** dicto), et e strato interiore spongioso, albo, amaro, compositus.

Occurrit venalis in segmentis, quartam circiter partem fructuum aequantibus, tenuibus, duris, plus minus convolutis, siccatione extus sordide fusco-aurantiacis v. subolivaceis.

In mercando corticem validius aromaticum elige.

168. Cortex Cascarillae.

Croton Eluteria Swartz, arboris in insulis Antillanis et Bahamensibus crescentis, e familia *Euphorbiacearum,* cortex e ramis validioribus detractus.

Sistit segmenta circiter bipollicaria, canaliculata v. semiconvoluta, extus cinerascenti-fusca, rugulosa aspera, transversim breviter rimosa, lichenibus variis innatis saepissime maculata, superficie interiore laevi, badia vel fusca, sat dura et ponderosa, fractura transversa aequabili, fusca resinoso-nitida. Odor peculiaris, aromaticus, sapor aromatico pungens, haud grate amarus. Accensus fumum spargit Moschi odore gravem, caput obnubilantem. Rejice ramos teneriores, cortici interdum admixtos.

169. Cortex Cassiae Cinnamomeae.

Cortex Cassiae ligneae droguistarum Viennensium.

Cinnamomi aromatici Nees. arboris in China et insulis Sundaicis indigenae e familia *Laurinearum,* cortex prostans fasciculis libro colligatis, duarum quatuorve librarum ponderis. Frusta epidermide sunt liberata, palmaria, imo pedalia, tubulosa, simpliciter vel dupliciter convoluta, clausa, ad $^1/_3$—$^3/_4$ lineae crassa, dura. Superficiem glabriusculam, rubro-badiam, nonnunquam maculis parvis fuscis adspersam, texturam fibrosam, fibris longitudinalibus, haud raro flexuosis et fragilibus, exhibent.

Odor grate aromaticus peculiaris, sapor Cinnamomo Zeylanico similis, sed acrior cum quadam dulcedine mucilaginosa.

170. Cortex Chinae fuscus.
Cortex peruvianus.

Cinchonae scrobiculatae Humb. et Bonpl. *Cinchonae micranthae* Ruiz et Pav. *Cinchonae glandulifcrae* Ruiz et Pav. aliarumque speeierum, arborum *Rubiacearum* in Andibus peruanis ereseentium eortex ramorum, prostat in segmentis utrinque convolutis, peunae anserinae v. digiti minoris circumferentia, vix ultra dimidiam lineam crassis, extus vestitis epidermide fusco-grisea, hinc inde furfuracea, rimis transversis parum profundis, margine vix tumido cinctis, et rugis longitudinalibus aspera. Fractura transversa strati extimi et interioris nigricantis aequabilis, nitidiuseula, intimi tenuiter fibrosa.

Odor peculiaris, modicus, sapor amarieans, subadstringens cum aliquo aromate.

Praeferuntur eortiees de Huanueo et de Loxa.

171. Cortex Chinae regius.

Cinchonae Calisayae Wedd. arboris *Rubiaceae* in Andibus peruanis eresecntis cortex, adfertur in segmentis diversae magnitudinis, planis v. convolutis, plus minus crassis, einnamomeis, epidermide extus vestitis v. denudatis, intus laevibus. Varietates sequentes distinguuntur:

a) China regia *plana*, in segmentis planis v. eanaliculatis epidermide denudatis, duris (minime autem spongiosis), plerumque robustioribus, unam ad sex lineas crassis, superficie interiore minime fibrosa.

b) China regia *convoluta*, in segmentis simpliciter vel bis convolutis, plerumque satis robustis, ambitu pollieis vel sesquipollicis, tres ad sex lineas crassis, superficie externa epidermide induta farinosa, albida v. grisea, transversim rimosa, rimis margine elevato einctis, saepissime liehenes varios innatos et adnatos gerente.

Utraque varietas subflexilis, tenax, diffieilius in pulverem redigenda, diffracta fraeturam monstrat in stratis exterioribus satis aequabilem, in interioribus fibrosam. Odor levissimus, coriarius, sapor amarissimus.

172. Cortex Chinae ruber.

Cinchonae nitidae Ruiz et Pav. arboris *Rubiaceae* in Andibus peruanis crescentis cortex, affertur in frustis interne et externe obscure et laete rubro-fuscis, crassioribus, ponderosis; saporis valde amari adstringentis, haud ingrati.

173. Cortex Cinnamomi Zeylanici.
Cinnamomum acutum.

Cinnamomi Zeylanici Blum. *(Laurus Cinnamomum* Linn.*)* arboris humilis ex ordine *Laurinearum*, imprimis in insula Zeylon cultae, cortex e ramulis, potissimum trimulis detractus, radendo ab epidermide et exterioribus stratis depurgatus, et in solis ardore siccatus. Sistit bacillos, in fasces centenarii pondere colligatos, pedales et sesquipedales, teretiusculos, digiti minimi crassitie, e corticis fragilis, chartae lusoriae crassitiem vix superantis, stratis pluribus, sibi invicem arcte superpositis et convolutis, ita exstructos, ut vacuum nullum in centro remaneat. Color cinnamomeus sui generis, in pagina exteriore (cortice) dilutior in flavum vergens, in interiore (libro) magis fuscescens. Fractura fibrosa, fibris flexibilibus. Odor peculiaris aromaticus. Sapor dulciter aromaticus, subadstringens, minime mucosus.

174. Cortex Citri.

Citri medicae Linn. arboris ex ordine *Aurantiacearum*, cortex e fructibus maturis detractus recens et siccatus, e strato exteriori punctato rugoso, vesiculis oleo aethereo foetis scatente, luteo-citrino, aromatico, subamaro, et ex interiore spongioso, albo, insipido constans.

† 175. Cortex granati radicis.

Punicae Granati Linn. arboris *Myrtaceae* in Oriente spontaneae et in Europa meridionali cultae, cortex e ramis radicis detractus, venumdatur in segmentis canaliculatis, curvatis, quadrantem lineae ad unam lineam crassis, superficie exteriore gibbosa, aspera griseo-

lutea, viridi maculata, interiore sordide viridi vel lutescente, fissili, alburno pallide luteo passim adhaerente.

Fractura inaequalis flavescens, odor debilis nauseosus.

Sapor ingratus, amarus, adstringens.

† 176. Cortex Mezerei.

Daphnes Mezerei Linn. fruticuli humilis, ex ordine *Daphnoidearum* in Europae mediae et borealis sylvis montanis crescentis, cortex extrema hyeme, cum flores prorumpant, e trunco et ramis validioribus detractus, explanatus et siccatus, frusta sistit loriformia, tenacissima, extus vestita epidermide fusca, glabra, intus albido-flavescentia subnitida.

Odor nullus. Sapor acerrimus, causticus.

177. Cortex Nucum Juglandis viridis exterior.
Cortex Nucum Juglandis.

Juglandis regiae Linn. arboris hortensis notissimae, fructuum maturorum exocarpium carnosum, extus viride, glabrum, intus album, subspongiosum, ab endocarpio lignoso osseo (putamine) facile secedens, odoris peculiariter aromatici, saporis amaro-acris subcorrosivi, digitos contractantis colore fusco maculans.

Siccatione fuscescit et saporem mitiorem, aucta amaritudine, acquirit.

178. Cortex Quercus.

Quercus pedunculatae Ehrh. et *Quercus sessiliflorae* Sm. arborum *Cupuliferarum* indigenarum, cortex e truncis junioribus, vere ante foliorum evolutionem detractus, extus argenteo-nitens vel cinereo-fuscus, glaber, rugoso-rimosus et tuberculatus, intus albidus, siccatione obscure cinnamomeus, fibroso-fissilis, inodorus, saporis admodum adstringentis.

179. Cortex Salicis.

Salicis fragilis Linn. et aliarum specierum affinium, amentis fructiferis pedunculatis, bracteis deciduis, arborum ad rivulos et fossas ubi-

que crescentium, ordinis *Salicinearum*, cortex e ramis bimulis trimulisve collectus, tenuis, flexibilis, extus fuscus, vel viridescens, laeviusculus, verniculose nitens, intus luteolus, odoris dum recens est amygdalini, saporis amaro-adstringentis.

180. **Cortex Simarubae.**

Cortex e radice *Simarubae officinalis* DC. et *Simarubae medicinalis* Endl. arborum Americae tropicae, ex ordine *Simarubacearum*, detractus adfertur in frustis variae longitudinis, plus minus latis et planis, duas circiter lineas crassis, levibus, spongiosis, fibroso-tenacissimis, superficie exteriore sordide flava, gibboso-verrucosa, aspera, interiore griseo-lutea, laevi. Odor nullus, sapor admodum amarus.

181. **Crocus.**

Croci sativi Linn. plantae *Irideae*, in Oriente indigenae, nunc in variis Europae partibus cultae, stigma trifidum, laciniis cuneiformibus, coloris saturate aurantiaci, odoris fragrantis, subnarcotici, saporis amaro-aromatici, masticatione salivam intense luteo tingens, e flore vix expanso resectum et caute siccatum. Servetur a luce remotus. Cave ab adulterato.

Habeantur in pharmacopoliis:

a) Crocus austriacus, et

b) Crocus gallicus.

182. **Cubebae.**

Piperis Cubebae Linn. fruticis ordinis *Piperacearum* in India orientali indigeni baccae exsiccatae, aridae, subglobosae, pedicello sursum incrassato innixae, atro-fusco-griseae, subgriseo-pruinosae, extus rugosae, rugis pentagona v. hexagona regularia formantibus, intus monospermae, semine cum pulpa exsiccata cohaerente, duro, fragili. Odor fragrans, aromaticus, sapor piperinus et camphoratus.

†183. **Cuprum aceticum crystallisatum.**
Aerugo crystallisata. Flores viridis aeris.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos prismaticas virides, in aëre fatiscentes, saporis metallici, acerbi, in aquae fervidae partibus quinque, frigidae tredecim et dimidia solubiles.

184. Cuprum aluminatum.

Lapis divinus.

℞. **Cupri subacetici crudi**
Aluminis
Kali nitrici depurati — *ãa uncias tres.*

In pulverem trita et intime mixta liquescant igne lenissimo in vase murrhino. Refrigeratae massae in pulverem tritae optime misce:

Camphorae pulveratae — *drachmam unam et dimidiam.*

Serva in vase bene clauso.

Sit massa viridis, odoris camphorati insignis.

†185. Cuprum chloratum ammoniacale solutum concentratum.

℞. **Cupri sulfurici depurati** — *unciam unam.*

Solve in

Aquae destillatae — *unciis decem.*

Solutioni instilla:

Kali carbonici soluti — *quantum sufficit*

ad perfectam praecipitationem.

Praecipitati cum aqua iterato loti et siccati *grana triginta quinque* solve in

Acidi hydrochlorici diluti — *s. q.*

admisce

Ammonii chlorati depurati — *unciam unam.*

Adde

Aquae destillatae — *tantam quantitatem,*

ut liquor sit ponderis — *unciarum quinque.*

Sit liquor smaragdinus, limpidus, saporis styptici metallici, cujus drachma una contineat Cupri metallici granum dimidium et Ammonii chlorati grana duodecim.

†186. Cuprum chloratum ammoniacale solutum dilutum.

Aqua antimiasmatica Köchlini simplex.

℞. Cupri chlorati ammoniacalis soluti concentrati — *drachmam unam,*
Aquae destillatae — *uncias decem.*

Misce et serva.

†187. Cuprum chloratum ammoniacale cum Hydrargyro solutum concentratum.

℞. Cupri chlorati ammoniacalis soluti concentr. — *unciam unam,*
Hydrargyri bichlorati corrosivi — *grana triginta.*

Solve et filtratum serva.

†188. Cuprum chloratum ammoniacale cum Hydrargyro solutum dilutum.

Aqua antimiasmatica Köchlini composita.

℞. Cupri chlorati ammoniacalis cum Hydrargyro soluti concentrati — *drachmam unam,*
Aquae destillatae — *uncias decem.*

Misce et serva.

†189. Cuprum subaceticum crudum.

Aerugo vulgaris. Viride aeris.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit glebas difficilius frangendas, fractura sublamellosa, friabiles, e viridi plus minusve caerulescentes.

Sit siccum, in acido acetico penitus fere solubile.

Aerugo venalis quisquiliis variis admixtis inquinita rejicienda est.

†190. Cuprum sulfuricum.

Vitriolum Cupri seu coeruleum. Sulfas Cupri crystallisatus.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sistit crystallos cyaneas, rhomboideo-prismaticas, saporis ingrati styptici, in aëre paululum fatiscentes, in tribus partibus aquae frigidae, in una parte fervidae solubiles, in alcohole non solubiles.

Sit a zinco purum, nec ferro nimio inquinatum.

† 191. Cuprum sulfuricum ammoniatum.

Cuprum ammoniacale. Sulfas Cupri ammoniacalis.

℞. **Cupri sulfurici in pulverem triti** *uncias duas.*
Solve in
Ammoniae purae liquidae *unciis sex,*
filtra in lagenam, cui inest
Spiritus vini rectificatissimi *libra una.*

Mixtam lagena obturata conquassa, donec pulvis crystallinus efformetur, quem in filtro collectum intra chartam bibulam convolutam celeriter sine calore exsicca et in vase clauso loco frigido serva.

Sit saturate azureus, saporis nauseosi, substyptico-ammoniacalis et metallici, facile in aqua solubilis, in aëre jam temperatura ordinaria fatiscens.

Praeparatum aëris aditu partim decompositum rejice.

† 192. Decoctum Pollini.

Decoctum Nucum Juglandum compositum.

℞. **Radicis Sarsaparillae**
„ **Chinae nodosae orientalis** *āā unciam semis.*
Putaminum nucum Juglandis *uncias duas et semis.*
Pumicis
Stibii sulf. nigri crudi in petia ligator. *āā drachmas duas,*
coque eum
Aquae fontanae *libris tribus*
ad colaturam *librae unius.*

† 193. Decoctum Zittmanni fortius.

Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

℞. **Radicis Sarsaparillae concis.** *uncias duodecim.*

Infunde cum

Aquae fontanae *libris septuaginta duabus,*

et digere per horas viginti quatuor additis intra sacculum linteum:

Pulveris Sacchari albi

„ **Aluminis** *āā drachmis sex,*

„ **Hydrargyri chlorati mitis** *uncia dimidia,*

„ **Cinnabaris facticiae** *drachma una,*

coque ad colaturam *librarum viginti quatuor.*

Sub finem coctionis adde:

Seminum Anisi vulgaris

„ **Foeniculi, singulorum**

contusorum, *āā unciam dimidiam,*

Foliorum Sennae *uncias tres,*

Radicis Liquiritiae *unciam unam et dimidiam.*

Exprime et per panum cola.

† 194. Decoctum Zittmanni mitius.

Decoctum Sarsaparillae compositum tenue.

℞. **Radicis Sarsaparillae concis.** *uncias sex,*

additis speciebus e decocto fortiori residuis coque cum

Aquae fontanae *libris septuaginta duabus,*

ad colaturam *librarum viginti quatuor.*

Sub finem coctionis adde:

Corticis fructuum Citri,

Seminum Cardamomi minoris,

Corticis Cassiae Cinnamomeae,

Radicis Liquiritiae, singulorum

concisorum et contusorum, *āā drachmas tres.*

Exprime et per panum cola.

195. Elaeosaccharum Anisi.

℞. **Sacchari albi pulverati** *drachmam unam.*

Misce terendo cum

Olei aetherei Anisi *guttis tribus.*

Hoc modo parantur **Elaeosacchara** sequentia:

Cinnamomi
Foeniculi
Menthae piperitae
Valerianae.

In universum ad Elaeosacchara, quae optime ex tempore paranda sunt, adhibe Olea aetherea optimae notae et minime vetustate corrupta.

196. Elaeosaccharum Aurantiorum.

℞. **Fructum Aurantii**
integrum, attere ad frustum
Sacchari albi,
donec superficies oleo aethereo impraegnata fuerit; hanc cultro abrasam et aëre siccatam in mortario in pulverem aequabilem redige.

197. Elaeosaccharum Citri.

E fructu Citri integro, paratur sicut elaeosaccharum Aurantiorum.

198. Elaeosaccharum Macis.

℞. **Macis** *scrupulum unum.*
Sacchari albi *unciam unam.*
Misce terendo in mortario lapideo et in vase bene clauso serva.

199. Elaeosaccharum Vanillae.

℞. **Vanillae concisae** *drachmam semis,*
Sacchari albi *unciam unam.*
Tere in mortario lapideo in pulverem subtilissimum aequalem.

200. Electuarium aromaticum seu stomachicum.

℞. **Pulveris herbae Absinthii**
„ „ **Saturejae**

Pulveris herbae Serpylli		
„ **foliorum Menthae pip.**		
„ „ **Salviae**	*aa unciam unam,*	
„ **radicis Angelicae**		
„ „ **Serpentariae**		
„ „ **Zingiberis**	*aa unciam semis.*	
„ **corticis Cassiae Cinnamomeae**		
„ **Caryophyllorum**		
„ **Nucis moschatae**	*aa drachmas duas.*	
Mellis depurati	*q. s.*	

ut fiat electuarium.

†201. Electuarium aromaticum cum Opio.

Electuarium anodynum. Theriaca.

℞. **Electuarii aromatici**	*unciam unam.*
Opii puri	*grana quatuor.*

Misce.

202. Electuarium lenitivum.

Electuarium aperiens.

℞. **Pulpae Prunorum**	*libras tres,*
Roob Sambuci	*libram unum,*
Pulveris foliorum Sennae	
„ **Kali tartrici aciduli**	*aa libram semis,*
Mellis despumati	*q. s.*

ut fiat electuarium.

Loco frigido, sicco serva.

203. Elemi.

Resina arboris non satis notae in Brasilia indigenae (ut creditur *Icica Icicariba* DC. familiae *Burseracearum*) compacta, intus mollior et tenax, contractata mollescens, subpellucida, pallide citrina, trita fere alba, odoris foeniculacei, saporis balsamici, amariusculi, leni calore

liquescens, admodum inflammabilis, in spiritu vini rectificato frigido ex parte, ope caloris autem penitus solubilis.

Ab immixtis saepe resinae Pini particulis cautius distinquenda odore istarum terebinthinaceo, colore magis flavo, et solubilitate in spiritu vini rectificato frigido perfecta.

204. Emplastrum anglicanum.

Emplastrum glutinosum.

℞. **Ichthyocollae minutim concisae** *uncias duas,*
solve in
Aquae destillatae calidae *libris tribus,*
adde
Spiritus vini rectificati *uncias duas,*
Mellis despumati *drachmam unam*
et cola per linteum.

Solutione leni calore liquefacta penicilli ope tela bombycina laevigata unius ulnae bene expansa sensim et aequabiliter inducatur, post quamlibet inductionem exspectando, donec tela penitus sicca fuerit.

Telae pars adversa illinatur
Tincturae Benzoës *partibus quatuor*
et
Balsami peruviani *parte una,*
et bene siccata in frusta secetur.

Rigidum esse oportet, et madefactum cuti adhaereat.

†205. Emplastrum Cantharidum.

Emplastrum vesicatorium ordinarium.

℞. **Cerae flavae** *uncias octo,*
Olei Olivarum
Terebinthinae communis *āā uncias duas.*
Colliquefactis et colatis admisce
Cantharidum pulveratarum *uncias sex,*
in balneo aquae per horam cum spatula agitando.

E massa refrigerata fiat emplastrum.

206. Emplastrum Cerussae.

Emplastrum album.

℞. **Lithargyri in pulverem subtilissimum triti** *libram unam,*
Olei Olivarum *libras quatuor et dimid.*

Coque sub continua agitatione, inspergendo interdum pauxillum aquae, donec Lithargyrum omnino solutum fuerit, tum adde:

Cerussae in pulverem tritae *libras septem,*

et coque, aquam calidam addendo, donec fiat emplastrum.

Sit album, mox flavescens, durum, calore modico tenax.

†207. Emplastrum Conii maculati.

Emplastrum Cicutae.

℞. **Axungiae porcinae** *libram unam,*
Cerae flavae *libras duas,*
Terebinthinae communis *uncias tres.*

Colliquefactis et colatis agitando admisce:

Pulveris extracti conii maculati *uncias tres,*
„ **Herbae conii maculati** *libram semis.*

Fiat emplastrum.

208. Emplastrum diachylon compositum.

Emplastrum plumbi compositum. Emplastrum Lithargyri compositum. Emplastrum diachylon gummiresinosum.

℞. **Emplastri diachyli simplicis** *libras duas.*

Liquefactis admisce:

Ammoniaci pulverati *uncias tres,*

solutas in

Terebinthinae communis *uncia una,*

adde

Cerae flavae *uncias quatuor,*
Resinae Pini *uncias duas.*

Colliquefactis et colatis fiat emplastrum.

209. Emplastrum diachylon simplex.

Emplastrum plumbi simplex. Emplastrum Lithargyri simplex.

℞. **Axungiae porcinae** *libras duas,*
Lithargyri subtilissime pulverati *libram unam.*

Coque sub continua agitatione super lenem ignem, subinde aquae pauxillum inspergendo, donec Lithargyrum penitus solutum fuerit, ad justam emplastri spissitudinem.

Cave, ne sit Lithargyri non soluti particulis inspersum.

†210. Emplastrum Euphorbii.

Emplastrum vesicatorium perpetuum. Emplastrum Cantharidum perpetuum.

℞. **Terebinthinae communis**
Mastiches pulveratae *āā unciam semis.*

Leni calore liquefactis agitando admiscee:

Pulveris Cantharidum *drachmas duas,*
„ **Euphorbii** *drachmam unam.*

Fiat emplastrum.

211. Emplastrum de Galbano crocatum.

℞. **Galbani depurati** *uncias sex,*
Emplastri diachyli simplicis
„ **de Meliloto** *āā uncias tres,*
Cerae flavae *uncias quatuor.*

Leni igne liquefactis admiscee:

Terebinthinae communis *unciam unam,*
Croci gallici pulverati *drachmas sex.*

Fiat emplastrum.

†212. Emplastrum Hydrargyri.

Emplastrum mercuriale.

℞. **Hydrargyri rectificati** *uncias tres,*

terendo extinctas in

Terebinthinae communis *uncia una et dimidia,*
misce cum
Emplastri diachyli simplicis *libra una*
leni igne liquefacta.

In emplastro Hydrargyri globuli haud sint conspicui.

213. Emplastrum de Meliloto.

℞. **Cerae flavae** *libram unam,*
Olei olivarum
Resinae Pini
Sebi ovilli *āā uncias tres.*

Colliquefactis et colatis adde
Ammoniaci *drachmas decem,*
in
Terebinthinae communis *unciis tribus*
solutas.

Refrigeratis sub continua agitatione admisce:
Pulveris herbae Meliloti floridae *uncias octo,*
„ „ **Absynthii**
„ **florum Chamomillae**
„ **baccarum Lauri** *āā unciam semis.*

Fiat emplastrum.

214. Emplastrum Minii adustum.
Emplastrum noricum. Emplastrum fuscum.

℞. **Olei Olivarum** *libram unam et dimidiam,*
Minii subtilissime pulverati *uncias novem.*

Coque sub continua agitatione, donec colorem nigro-fuscum acceperit, tunc adde:
Cerae flavae *unciam unam et dimidiam.*

Colliquefactis et paullulum refrigeratis admisce:
Camphorae tritae *drachmas sex.*

Fiat emplastrum.

215. Emplastrum oxycroceum.

℞. **Cerae flavae**	*libram unam et dimidiam,*
Resinae Pini	*libram unam.*

Colliquefactis, colatis et semirefrigeratis adde:

Ammoniaci	
Galbani	*aa uncias quatuor,*

in

Terebinthinae communis	*unciis quatuor*

solutas.

Sub continua agitatione admisce:

Pulveris subtilissimi Olibani	
„ „ **Masticles**	*aa libram dimidiam,*
„ **Croci gallici, spiritu vini irrorati**	*uncias tres.*

Fiat emplastrum.

216. Emplastrum ad rupturas.
Emplastrum ad hernias.

℞. **Resinae Pini**	*libram unam.*
Cerae flavae	
Terebinthinae communis	*aa uncias tres,*
Olei Olivarum	*unciam unam et dimidiam.*

Leni calore liquatis et colatis adde:

Sanguinis Draconis	
Masticles	
Olibani	*aa unciam semis,*

in

Terebinthinae communis	*unciis tribus*

solutas.

Subrefrigeratis adde continua agitatione:

Pulveris radicis Consolidae majoris	
„ **Boli armenae**	
„ **Lapidis haematitis**	*aa unciam unam et dimid.*

Fiat emplastrum.

217. Emplastrum saponatum.
Emplastrum saponato-camphoratum.

℞. **Emplastri diachyli simplic.**	*libras tres,*
Cerae albae	*libram dimidiam.*

Leni igne liquatis adde:

Saponis veneti pulverati	*uncias tres.*

Subrefrigeratis agitando admisce:

Camphorae	*unciam dimidiam,*

in

Olei Olivarum	*unciis duabus*

solutam. Fiat emplastrum.

218. Emulsio amygdalina.
Emulsio communis.

℞. **Amygdalarum dulcium decorticatarum**	*unciam unam,*
Sacchari albi	*unciam semis.*

Contundendo in mortario cum aqua fontana redige in massam pultaceam, cui continuata trituratione adde:

Aquae fontanae	*tantum,*
ut sit colatura	*librae unius.*

Eodem modo emulsiones seminum oleo pinqui scatentium reliquorum (Cannabis, Cucurbitae, Melonum, Papaveris etc.) parentur.

219. Emulsio oleosa.
Emulsio olei Amygdalarum. Mixtura oleosa.

℞. **Olei Amygdalarum dulcium recent.**	*unciam semis,*
Pulveris gummi arabici	*drachmas duas.*

Bene mixta subigantur terendo cum

Syrupi simplicis	*uncia dimidia.*

Sub continua agitatione affunde:

Aquae fontanae	*libram unam,*

ut fiat emulsio.

†220. Euphorbium.

Succus lacteus, aëre induratus, ex *Euphorbia officinarum* Linn. et *Euph. canariensi* Linn. collectus et ex Africa boreali-occidentali et insulis Canariis ad nos adlatus. Occurrit in granulis difformibus, cavis, saepe plantae, e qua collecta sunt, spinulas includentibus, aut his situ consumtis v. extractis perforatis, duris, fragilibus, odoris fere nullius, sed super prunis grate aromatici, saporis primum perexigui, deinde acerrimi caustici.

In aqua et spiritu vini nonnisi ex parte solubilis. Pulvis vehementissime sternutatorius, caute parandus.

221. Explementum ad dentes.
(Zahnkitt.)

℞. **Sandaracae**
Masticlies — *aa uncias duas,*
non pulveratas solve balneo aquae in
Spiritus vini rectificatissimi — *unciis sex.*

Stent per aliquot tempus.

Liquorem limpidum decanta et in vase bene clauso serva.

222. Extractum Absynthii.

℞. **Herbae Absynthii sicc. conc.** — *libras duas.*
Macera in cucurbita vel vesica cum
Spiritus vini rectificati — *libris quatuor*
per duodecim horas. Tum affunde:
Aquae communis — *libras quatuor,*
et digere in balneo aquae per viginti quatuor horas, deinde exprime fortiter, et residuo reaffunde:
Aquae fontanae
Spiritus vini rectificati — *aa libras duas.*

Post iteratam per viginti quatuor horas digestionem et fortem expressionem, liquores commixtos, subsidendo depuratos et filtratos in balneo aquae destillando a spiritu vini libera.

Tum residuum in balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam evapora.

†223. Extractum Aconiti.

℞. **Herbae Aconiti recentis** *libras duas.*
Contunde in mortario lapideo, dein affunde:
Spiritus vini rectificati *libras duas.*
Digere per viginti quatuor horas, tum exprime.

Liquorem filtra et in balneo aquae destillatione a spiritu vini libera. Residuum in balneo aquae lenissimo calore et sub continua agitatione ad siccitatem evapora.

Servetur in vitro bene clauso.

224. Extractum Acori.

Paretur e radice Acori, ut extractum Absynthii.

†225. Extractum Aloës.

℞. **Aloës lucidae pulveratae** *libram unam,*
Aquae destillatae *libras quatuor.*

Macera per aliquot dies, saepius agitando, deinde liquorem subsidendo depuratum et colatum evapora balneo aquae ad siccitatem.

226. Extractum amaricans compositum.

℞. **Extracti Cichorei**
„ **Trifolii fibrini**
„ **Cardui benedicti**
„ **Centaurii minoris**
„ **Rhei** *āā partes aequales.*
Misce.

227. Extractum Angelicae.

Paretur e radice Angelicae siccata, ut extractum Absynthii.

228. Extractum Arnicae florum.

Paretur e floribus Arnicae siccatis, ut extractum Absynthii.

229. **Extractum Arnicae radicis.**

Paretur e radice Arnicae siccata, ut extractum Absynthii.

†230. **Extractum Belladonnae.**

Paretur e foliis Belladonnae recentibus et servetur, ut extractum Aconiti.

231. **Extractum Calendulae.**

Paretur ex herba Calendulae florida siccata, ut extractum Absynthii.

232. **Extractum Cardui benedicti.**

℞. **Foliorum Cardui benedicti siccator. et concisorum** *libras duas,*
Aquae communis calidae *libras duodecim.*

Stent per bihorium in dolio, saepius agitentur et dein optime exprimantur. Liquor obtentus ebulliat et per noctem subsidendo depuratus per pannum coletur, dein balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam evaporetur.

233. **Extractum Cascarillae.**

Paretur e cortice Cascarillae grosse tuso, ut extractum Absynthii.

234. **Extractum Centaurii minoris.**

Paretur ex herba Centaurii minoris florida, ut extractum Cardui benedicti.

235. **Extractum Chamomillae.**

Paretur e floribus Chamomillae vulgaris, ut extractum Absynthii.

236. **Extractum Chelidonii majoris.**

Paretur ex herba Chelidonii majoris recenti et servetur, ut extractum Aconiti.

237. Extractum Chinae fuscae.

℞. **Corticis Chinae fuscae contusi** *libram unam,*
Aquae fontanae fervidae *libras duodecim.*

Macera per viginti quatuor horas, tum eoque per horam. Cola et residuum iterum bis terve cum

Aquae fontanae fervidae *libris duodecim*

eoque.

Liquores commixti ebulliant, eolentur per pannum et eolati evaporentur ad remanentiam *librarum trium,*
tum in balneo aquae ad sieeitatem.

238. Extractum Cichorei.

℞. **Radicis Cichorei**
Foliorum Cichorei *āā partes aequales.*

Coque binis vicibus in

Aquae communis *sufficiente quantitate.*

Decoeta subsidendo depurata clarificentur et evaporentur ad *tertiam partem.*

Stent per noetem in loeo frigido, ut sedimentum rursus deponatur, deinde eola, et in balneo vaporis ad extraeti spissioris consistentiam redige.

239. Extractum Cinae.
Extractum Santonici.

Paretur e seminibus Cinae et servetur, ut extraetum Aconiti.

†240. Extractum Conii maculati.

Paretur ex herba Conii maeulati recenti et servetur, ut extraetum Aeoniti.

241. Extractum Colombo.

Paretur e radice Colombo, ut extraetum Absynthii.
Evaporetur ad siccum.

242. Extractum Cubebarum.

Paretur e Cubebis contusis, ut extractum Aconiti, sed evaporetur ad extracti tenuioris consistentiam.

†243. Extractum Digitalis.

Paretur e foliis Digitalis purpureae recentibus et servetur, ut extractum Aconiti.

244. Extractum Dulcamarae.

Paretur e stipitibus Dulcamarae concisis, ut extractum Cardui benedicti.

†245. Extractum Elaterii.

℞. **Fructuum Elaterii recentium** *q. r.*

Succum contusione et expressione obtentum inspissa balneo aquae et deinde solve in:

Spiritus vini *s. q.*

Solutionem alcoholicam evapora balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam.

†246. Extractum Filicis maris.

℞. **Radicis Filicis maris recenter siccatae,**
purgatae et contusae *libram,*
Aetheris crudi *libras tres.*

Macera per aliquot dies in vitro clauso, dein exprime. Liquor expressus et filtratus destilletur ad remanentiam *librae dimidiae.*

Residuum balneo aquae ad extracti tenuioris consistentiam redigatur.

247. Extractum Fumariae.

Paretur ex herba Fumariae siccata, ut extractum Cardui benedicti. Evaporetur ad siccum.

248. Extractum Gentianae.

Paretur e radice Gentianae minutim concisa, ut extractum Cardui benedicti.

249. Extractum Graminis.

Mellago Graminis.

Paretur e radice Graminis concisa, ut extractum Cichorei. Sit consistentiae melis.

250. Extractum Guajaci ligni.

Paretur e ligno Guajaci raso, ut extractum Absynthii.

†251. Extractum Hellebori nigri.

Paretur e radice Hellebori nigri siccata, ut extractum Absynthii.

†252. Extractum Hyosciami foliorum.

Paretur e foliis Hyosciami recentibus et servetur, ut extractum Aconiti.

†253. Extractum Hyosciami seminum.

Paretur e seminibus Hyosciami et servetur, ut extractum Aconiti.

254. Extractum Juglandis foliorum.

Paretur e foliis Juglandis recentibus, ut extractum Absynthii.

255. Extractum Juglandis nucum.

Paretur e nucibus Juglandis immaturis, ut extractum Absynthii.

†256. Extractum Lactucae virosae.

Paretur ex herba Lactucae virosae recenti et servetur, ut extractum Aconiti.

257. Extractum Liquiritiae liquidum.

℞. Radicis Liquiritiae decorticat. contusae	*libram unam,*
Aquae fontanae	*libras decem.*

Macera per duodecim horas, et colaturam infusi expressi in balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam evapora.

258. Extractum Liquiritiae siccum.

Succus Liquiritiae depuratus.

℞. Bacillorum succi Liquiritiae crudi optimae indolis *q. v.*

Stratis alterum alteri impositis, dolio extractorio immissi macerentur cum aqua frigida per viginti quatuor horas, et liquido tubuli ope emisso maceratio eodem modo tamdiu, quam opus erit, cum nova aquae quantitate reiteretur.

Liquores perfecte limpidi initio leni igne, tunc in balneo aquae ad siccum evaporentur.

259. Extractum Lupuli.

Lupulinum.

Paretur e strobilis Lupuli siccatis et servetur, ut extractum Aconiti.

260. Extractum Malatis Ferri.

Extractum Ferri pomati. Extractum Martis cum succo Pomorum.

℞. Pomorum acidulorum maturorum, decorticatorum et contusorum *libras sex,*

misce cum

Ferri puri limati *libra una,*

digere saepius agitando in loco tepido, aquam evaporatam restituens, per aliquot hebdomadas, donec in massam nigram transierint, quam sacculis linteis inclusam exprime.

Liquorem subsidendo depuratum filtra, et balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam redige.

†261. Extractum Mezerei.

E cortice Mezerei siccato contuso paretur, ut extractum Filicis maris. Sit consistentiae spissioris.

262. Extractum Millefolii.

Ex herba Millefolii florida paretur, ut extractum Absynthii.

†263. Extractum Nucis vomicae.

E Nucibus vomicis grosse tusis paretur et servetur, ut extractum Aconiti.

†264. Extractum Opii.

Ex Opio grosse conciso paretur, ut extractum Aloës.

†265. Extractum Punicae granati.

Paretur e radicis Punicae granati cortice, ut extractum Absynthii.

266. Extractum Quassiae.

E ligno Quassiae conciso paretur, ut extractum Chinae fuscae.

267. Extractum Ratanhiae.

E radice Ratanhiae minutim contusa paretur, ut extractum Chinae fuscae.

268. Extractum Rhei.

E radice Rhei contusa paretur, ut extractum Cardui benedicti.
Evaporetur ad siccum.

269. Extractum Salviae.

Paretur e foliis Salviae siccatis, ut extractum Absynthii.

270. Extractum Saponariae.

E herba Saponariae concisa paretur, ut extractum Cardui benedicti.

271. Extractum Sarsaparillae.

E radice Sarsaparillae concisa paretur, ut extractum Absynthii. Evaporetur ad siccum.

†272. Extractum Scillae.

E bulbo Scillae recenti paretur, ut extractum Cardui benedicti. Evaporetur ad siccum.

†273. Extractum Secalis cornuti.
Extractum haemostaticum. Ergotinum.

Paretur e Secale cornuto contuso et servetur, ut extractum Aconiti.

274. Extractum Taraxaci.

E **Foliorum Taraxaci**
Radicis Taraxaci *partibus aequalibus*
paretur, ut extractum Cichorei.
Sit consistentiae mellis.

275. Extractum Trifolii fibrini.

E foliis Trifolii fibrini paretur, ut extractum Cardui benedicti.

276. Extractum Tormentillae.

Paretur e radice Tormentillae, ut extractum Chinae fuscae.

277. Extractum Valerianae.

E radice Valerianae paretur, ut extractum Absynthii.

†278. Faba St. Ignatii.
Faba febrifuga.

Ignatiae amarae Linn. fil. fruticis in insulis Philippinis crescentis ex ordine *Loganiacearum*, semina, avellanae circiter magnitudine,

oblonga, obtusa, tri-tetragona, uno latere convexa, reliquis plana, compressa, obscure et pallide grisea, subcornea, inodora, saporis peculiariter nauseoso-amarissimi.

279. Farina Fabarum.

Phaseoli vulgaris Linn. plantae *Papilionaceae* notissima semina in mortariis contusa vel in mola contrita, et per cribrum trajecta.

280. Farina Foeni graeci.

Trigonellae Foeni graeci Linn. plantae *Papilionaceae* Europae australis semina in molis in pulverem trita, odoris Melilotum aemulantis.

281. Farina Lini placentarum.

Placentae residuae e seminibus *Lini usitatissimi* Linn. ad obtinendum oleum pinque prelo subjectis in mortario in pulverem subtilem contusae.

282. Farina Lini seminum.

Seminum *Lini usitatissimi* Linn. farina in molendinis trituratione parata.

283. Farina secalina.

Secalis cerealis Linn. plantae *Gramineae* notissimae seminum farina trituratione molari obtenta.

284. Farina Sinapis seminum.

Seminum *Sinapis nigrae* Linn. farina in mortariis contusione parata.

285. Fel Tauri inspissatum.

Extractum fellis Tauri.

℞. **Fellis Tauri recentis** *q. v.*

Ebulliat et per pannum coletur, deinde in vase porcellaneo in balneo aquae ad extracti spissioris consistentiam evaporetur.

286. Ferrum carbonicum saccharatum.

℞. **Natri carbonici crystallisati** *libram unam,*

solve in

Aquae communis *libris tribus.*

Solutioni filtratae et in lebete ferreo ad ebullitionem calefactae sensim adde:

Ferri sulfurici crystallisati *uncias decem.*

Praecipitatum obtentum, aqua destillata bulliente edulcatum ope preli exprime, placentam eum aequali pondere Sacchari albi optime mixtam leni calore sicca et in vase bene clauso serva.

Sit pulvis virideseens, acidis affusis effervescens.

Ne sit metallis alienis inquinatum.

287. Ferrum citricum.

Citras Ferri oxydati.

℞. **Acidi citrici** *unciam unam,*

solve in

Aquae destillatae *s. q.*

Solutioni adde:

Ferri oxydati hydrici recenter parati *q. s.*

ut Ferri oxydati hydrici particula insoluta remaneat.

Liquorem filtratum in vase porcellaneo leni calore ad siccum evapora et in vase bene clauso serva.

Sit pulvis rubro-fuseus, in aqua solubilis, saporis subdulcis, adstringentis.

†288. Ferrum jodatum saccharatum.

℞. **Ferri limati** *drachmam unam.*

Immitte in lebetem ferreum et affunde:

Aquae destillatae *drachmas quinque,*
tum sensim injice:
Jodi *unciam dimidiam,*
et digere interdum agitando, donec color initio rubicundus in subviridem mutatus fuerit.

Liquorem filtratum misce cum
Sacchari lactis *unciis duabus et dimidia*
et citissime ad siccum redige.

Servetur in lagenis epistomio vitreo clausis.

Massa salina coloris flavescentis, ad aërem humescens, saporis styptici, atramentacei.

Grana sex continent granum fere unum Jodi.

289. Ferrum lacticum.

Lactas Ferri. Lactas Oxyduli Ferri cum aqua.

℞. **Lactis vaccini sponte acidifacti** *libras duas,*
Sacchari lactis
Ferri limati *āā unciam unam.*

Mixtas sepone in calore modico per aliquot dies. Saccharo lactis fere soluto novam adjice copiam, quamdiu ferrum lacticum nascitur, quod pulvere viridulo crystallino deposito dignoscitur. Dein tota miscela ebulliat et fervida adhuc filtretur in vas bene claudendum.

Post aliquot dies, si crystalli enati jam non creverint, decanta, crustas crystallinas parum aqua frigida lava, tum charta bibula involutas lenissimo calore sicca, contere et in vase bene clauso serva.

Sit pulvis flavescens, saporis styptici, subdulcis. Solvitur in triginta partibus aquae frigidae, facilius in aqua fervida.

290. Ferrum limatum.

Praeparatum officinarum propriarum.

Sit a metallis alienis liberum.

291. Ferrum oxydato-oxydulatum.

Aethiops martialis.

℞. **Ferri sulfurici oxydulati crystallis. puri** *uncias quatuor,*

solve in

Aquae communis *unciis quatuor,*

cui admixtae sunt

Acidi sulfurici concentrati puri *drachmae sex.*

Solutioni fervidae instilla

Acidi nitrici crudi *q. s.*

donec Ammonia pura liquida praecipitatum rubro-fuscum producat.

Solutionem dilue cum decuplo aquae communis fervidae et misce eum solutione

Ferri sulfurici oxydulati crystallisati puri *unciarum duarum*

in

Aquae communis *unciis octo.*

Liquorem nunc praecipita cum

Ammoniae purae liquidae *s. q.*

donec praecipitatio cesset; ebulliant in vase ferreo, ut praecipitatum gelatinosum in pulverem nigrum mutetur.

Post edulcorationem perfectam filtra, sicca et serva.

Sit pulvis niger, subtilissimus, in acidis e toto solubilis.

Ne sit carbone animali adulteratum.

292. Ferrum oxydatum aceticum liquidum.

Liquor Ferri acetici.

℞. **Acidi acetici concentrati** *uncias sex,*

in quibus solve absque calore

Ferri oxydati hydrici recenter parati, expressi et adhuc humidi *tantum,*

ut particula Ferri oxydati hydrici insoluta remaneat.

Liquorem filtra et in vase bene clauso serva.

Sit coloris rubro-fusci.

293. Ferrum oxydatum hydricum in aqua.

Antidotum Arsenici albi.

℞. **Ferri sesquichlorati crystallis.** *uncias octo.*

solve in

Aquae communis *libris octo,*

adde

Ammoniae purae liquidae *q. s.*

ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum bene ablue et massae pultiformi admisce:

Aquae destillatae *tantum,*

ut pondus totius fluidi sit *librarum quatuor.*

Servetur in lagenis vitreis bene clausis.

Sit liquor turbidus, coloris rubro-fusci, ante dispensationem conquassandus.

Haec quantitas praeparati semper praesto sit.

Dimidio quove anno denuo paretur.

294. Ferrum oxydatum nativum rubrum.

Lapis Haematites.

Minera Ferro oxydato dives, occurrit massis solidis, fibris radiatis, pulverem rubrum largientibus.

Ne acido hydrochlorico affuso effervescat, nec cum eodem acido calefactum Chlorum exhalet.

295. Ferrum phosphoricum oxydatum.

Phosphas ferricus.

℞. **Ferri sesquichlorati soluti** *uncias quatuor,*

Aquae destillatae *libras octo,*

adde:

Natri phosphorici in aqua destillata soluti *q. s.*

ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum bene lotum sicca.

Sit pulvis albidus, in aqua insolubilis, in acido nitrico diluto leni calore solvendus, calori fortiori expositus fuscescens.

296. Ferrum phosphoricum oxydulatum.

Phosphas ferrosus.

℞. **Ferri sulfurici oxydulati crystallis. puri** *uncias tres.*

solve in

Aquae destillatae *unciis octodecim.*

Solutioni instilla:

Natri phosphorici *uncias quatuor,*

Aquae destillatae *s. q.*

solutas ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum bene lotum et siccatum serva.

Sit pulvis subtilis, sordide coeruleus, in aqua insolubilis, in acido nitrico et hydrochlorico leni igne solvendus.

297. Ferrum pulveratum.
Limatura martis alcoholisata.

Praeparatum officinarum propriarum.

In vase bene clauso servandum.

Sit pulvis subtilissimus, metallice nitens, in acido hydrochlorico absque ullo residuo solubilis, a metallis alienis liber.

298. Ferrum sesquichloratum crystallisatum.

℞. **Ferri oxydati nativi rubri laevigati** *uncias quatuor.*

Immitte cucurbitae vitreae, adde:

Acidi hydrochlorici crudi *uncias sexdecim,*

et digere leni calore.

Liquorem limpidum a sedimento decanta et in patina porcellanea balneo vaporis ad syrupi consistentiam evapora, dein vase bene obtecto in locum frigidum ad crystallisationem sepone.

Crystallos a liquore residuo separa et in vase penitus sicco bene clauso serva.

Sistit massam crystallinam flavam, saporis peradstringentis, aëre deliquescentem, in aqua, alcohole et aethere penitus solubilem.

299. Ferrum sesquichloratum solutum.
Oleum Martis.

℞. **Ferri sesquichlorati crystallisati**

Aquae destillatae *āā unciam.*

Solve et serva.

300. **Ferrum sulfuricum oxydulatum.**

Vitriolum Martis.

℞. **Acidi sulfurici anglicani** *libras duas,*
dilue in cucurbita vitrea cum
Aquae communis *libris octo,*
paullatim immitte
Ferri puri *libram unam,*
vel tantum,
ut post lenem digestionem particula Ferri insoluta maneat.
Addita
Acidi sulfurici anglicani *uncia dimidia,*
solutionem filtratam evaporatione et refrigeratione in crystallos redige, quae siccatae in vitro optime clauso serventur.

Crystalli sint coloris coeruleo-virescentis, saporis aciduli, styptici, atramentacei, in aëre sicco fatiscentes, in aquae frigidae duabus, fervidae $^3/_4$ partibus solubiles.

Ne sint Cupro et Zinco inquinatae.

301. **Flores Arnicae.**

Arnicae montanae Linn. plantae *Compositae* indigenae capitula radiata luteo-aurantiaca, involucro oblongo e squamis lineari-lanceolatis, villosis biseriatis composito, floribus radii ligulatis anantheris, disci tubulosis, perfectis, acheniis subcylindricis, asperis, pappo rigido piloso barbellato coronatis, receptaculo fimbrillifero subpiloso insistentibus.

Capitula perfecte explicata et remotis involucris siccata a muscarum larvis cautius defendenda sunt.

Cave, ne confundas cum Inularum, Doronici v. Anthemidis tinctoriae capitulis. Inulae involucro imbricato, receptaculo nudo et corollis radii angustioribus citrinis, Doronicum acheniis radii pappo destitutis, Anthemis tinctoria receptaculo paleaceo et acheniis nudis distinquuntur.

Odor debilis, haud gratus, agitati sternutationem excitant.

302. Flores Aurantii.
Flores Naphae.

Citri Aurantii Linn. arboris familiae *Aurantiacearum*, notissimae, in Europa australi sub dio, apud nos in frigidariis cultae, flores candidi suaveolentes, e calyce subtubuloso, quinquedentato, e petalis quinque lineari lanceolatis, carnosulis, calyce multoties longioribus, e staminibus numerosis et e germine monostylo compositi.

Odor fragrantissimus, grate aromaticus.

303. Flores Boraginis.

Boraginis officinalis Linn. herbae sui ordinis in Europae mediae et australis hortis et pomariis inter olera frequenter occurrentis flores, calyce quinquepartito, laciniis linearibus acutis hispidis, corolla rotata, laete coerulea, basi villosa, appendicibus erectis latis emarginatis inter stamina donatis.

Flores caute siccentur.

† 304. Flores Brayerae.
Flores Kousso.

Brayerae anthelminticae Kth., arboris e *Rosacearum* ordine in Abyssiniae montibus indigenae flores, nunc paniculis magnis, villosissimis, in cylindri pedalis et $1^1/_2$ — 3 pollices crassi formam convolutis, nunc solum ramulis carptis insidentes delapsisque plurimis mixti, viridi-purpureo-variegati; calycis tubo turbinato, brevi, villoso, limbo octo- vel decempartito, laciniis biseriatis oblongis, obtusis, venulosis, exterioribus quatuor vel quinque majoribus patentibus, cum totidem interioribus corrugatis minoribus alternantibus; petalis quinque squamuliformibus deciduis; fructu utriculari monospermo, calycis tubo indurato incluso.

305. Flores Calendulae.

Calendulae officinalis Linn. plantae *Compositae* in Europa australi sponte crescentis, apud nos in hortis passim satae, capitula sub plenaria anthesi collecta et siccata, radiata, aurantiaco-flava, involucro biseriali,

receptaculo nudo, acheniis heteromorphis, incurvis, dentato-aculeatis, epapposis.

Odor peculiaris, balsameus, sapor salso-amariusculus, adstringens.

306. Flores Chamomillae vulgaris.

Matricariae Chamomillae Linn. plantae *Compositae* inter segetes et in ruderatis passim nascentis, florum capitula, floribus radii ligulatis albis, disci minimis, tubulosis, flavis, involucri imbricati squamis subaequalibus, margine subscariosis, receptaculo conico, nudo, cavo, pappo nullo.

Odor vehemens, peculiaris, sapor aromatico-amarus.

307. Flores Chamomillae romanae.

Anthemidis nobilis Linn. plantae *Compositae* in Europa meridionali indigenae, apud nos passim in hortis cultae, florum capitula plerumque plena, floribus plerisque ligulatis albis, tubulosis in centro paucissimis flavis, involucri pauciserialis squamis imbricatis lanuginosis, receptaculo conico, paleis cymbiformibus duplicato-serratis obsito.

Odor peculiaris, sapor aromaticus, peramarus.

308. Flores Cyani.

Centaureae Cyani Linn. plantae *Compositae* inter segetes vulgaris, capitula florum corollis pulchre cyaneis decora, caute siccata in loco obscuro serventur.

309. Flores Lavandulae.

Lavandulae verae DC. (*Lavandulae spicae* Linn.) plantae *Labiatae*, in Europa australiore spontaneae, passim in hortis satae, flores ante plenariam anthesim e pedicellis decerpti, calyce cinereo subtomentoso, superne coeruleo, corolla bilabiata violacea, pubescente, odoris etiam in sicco suave fragrantis.

Nimis annosos et longo situ odoris expertes rejice.

310. **Flores Lilii albi.**

Lilii candidi Linn. herbae sui ordinis in Oriente indigenae, apud nos in hortis cultae folia perigonii oblonga, basi attenuata, ibique fovea nectarifera intus instructa, nivea, recentia suaveolentia, siccata inodora, fuscescentia.

311. **Flores Malvae.**

Malvae sylvestris Linn. plantae *Malvaceae*, in Europa ubique crescentis, flores sub plenaria anthesi decerpti, calyce involucrato, corolla pentapetala, rosea staminibus monadelphis.

312. **Flores Papaveris Rhoeados.**

Papaveris Rhoeados Linn. herbae *Papaveraceae*, inter segetes vulgaris, petala subrotunda, miniata, basi interdum macula purpureo-nigricante notata, odoris debilis narcotici; siccata tenuissima, fere diaphana, sordide purpurea, fere inodora.

313. **Flores Rosarum.**

Rosae gallicae Linn. et *Rosae centifoliae* Linn. fruticum aculeatarum inter hortenses notissimarum corolla polypetala sub anthesi resecta et celeriter siccata, saporis adstringentis, odoris in statu sicco exigui, grati.

Seligantur flores Rosae gallicae semipleni pro siccatione, flores Rosae centifoliae pro aqua.

314. **Flores Sambuci.**

Sambuci nigrae Linn. arboris notissimae, ex ordine *Caprifoliacearum*, corollae minutae, rotato-quinquefidae, resectis sereno coelo cymis et celeriter siccatis. A pedunculis separatae serventur. Siccatae corollae color pallide sulfureus, odor aromaticus, mitis, qui in recentibus ingratus, vehemens.

Ne sint quisquiliis et pedunculis admixtis contaminati. Nigrescentes rejice.

315. Flores Tiliae.

Tiliae grandifoliae Ehrh. et *Tiliae parvifoliae* Ehrh. aliarumque specierum, arborum indigenarum ex ordine *Tiliacearum,* cymae floridae, pedunculo tri-sexfloro, basi partim cum bractea herbaceo-membranacea, albida, lineari oblonga, integerrima, reticulato-venosa connato, florum calyce pentaphyllo, deciduo, corolla pentapetala albide lutescente, staminibus plurimis albidis, corollam superantibus. Odor recentium suavis, siccatorum fere nullus, sapor dulciusculus.

316. Flores Verbasci.

Verbasci phlomoidis Linn. et aliarum specierum proxime affinium plantarum indigenarum vulgaris notitiae ex ordine *Scrofularinearum,* corollae rotatae, quinque-partitae, luteae, cum staminibus quinque albido villosis, coelo sereno decerptae, et celeriter siccatae. Odor recentium ingratus, siccorum suavis, melleus, sapor dulcis, mucilaginosus.

Pluvio coelo collectas, siccatione nigricantes rejice.

317. Flores Violarum.

Violae odoratae Linn. plantae indigenae, ordinis *Violacearum*, ob suavissimum florum odorem cuivis notae, corollae irregulariter pentapetalae calcaratae saturate violaceae, odoris fragrantis notissimi, saporis subdulcis, acriusculi, recentes colligantur.

318. Folia Althaeae.

Althaeae officinalis Linn. plantae indigenae e familia *Malvacearum,* saepissime in usus pharmaceuticos cultae folia, subcordato-ovato-angulosa, vel subovata, inaequaliter dentata, quinque-nervia, tomentoso-mollia, ex albo viridia, odoris nullius, saporis mucilaginosi.

Colligantur aestate ante florum evolutionem.

319. Folia Arnicae.

Arnicae montanae Linn. plantae *Compositae* indigenae folia unum tresve pollices longa, quinque-nervia, integerrima, superne laete viridia,

sparse pilosa, subtus pallidiora, subvillosa, radicalia 2 — 6 verticillatim congesta, ovata, basi angustata, caulina opposita, oblongo-lanceolata.

320. Folia Aurantii.

Citri Aurantii Linn. arboris passim in frigidariis etiam cultae folia, semper virentia coriacea, cum petiolo late obovato alato articulata, ovato-oblonga, glabra, saturate viridia, siccatione pallida, subserrata, glandulis oleiferis circa marginem majoribus punctata, odoris grate aromatici, saporis aromatico-amari.

† 321. Folia Belladonnae.

Atropae Belladonnae Linn. plantae *Solanaceae*, in sylvis Europae crescentis folia brevi petiolata, ovata, acuta, integerrima, tactu mollia, superne saturate viridia, glabra, subtus pilis brevissimis glandulosis conspersa, hinc subviscida. Odor nullus, sapor fatuus, amariusculo-subacris.

Folia e planta florifera decerpenda, cito siccanda et in vase bene clauso servanda. Fusca vel nimis annosa, in pulverem dilabentia rejiciantur.

322. Folia Cardui benedicti.

Cnici benedicti Gärtn. *(Centaureae benedictae* Linn.*)* plantae *Compositae* in Europa meridionali indigenae, ad usus medicos in hortis quoque satae, folia spithamam longa, sessilia v. semiamplexicaulia subdecurrentia, integra, sinuata vel pinnatifida, hispidulo scabra, subtus imprimis reticulato-venosa, margine denticulato-aculeata, ciliata. Recentis odor inamoenus, in sicco evanescit, sapor subsalsus, admodum amarus.

Colligantur ante anthesim capitulorum, et sola folia remotis caulibus serventur.

323. Folia Cichorei.

Cichorei Intybus Linn. plantae *Compositae* notissimae lactescentis folia radicalia petiolata, oblongo-lanceolata pinnatifida, caulina alterna

amplexicaulia, sinuato-dentata, summa cordato-lanceolata integerrima, omnia subpilosa.

Colligantur ante perfectam capitulorum coeruleorum anthesim.

324. Folia Cochleariae.

Cochleariae officinalis Linn. plantae *Cruciferae*, in Europae imprimis borealis uliginosis sponte crescentis, et etiam in hortis cultae folia radicalia petiolata cordato-rotundata subintegerrima et caulina ovato-oblonga, dentata, omnia glabra, subsucculenta, nitida viridia, e planta florente decerpta, nonnisi recentia adhibeantur.

† 325. Folia Digitalis.

Digitalis purpureae Linn. herbae biennis in montibus apricis Europae mediae passim crescentis, in hortis quoque cultae, ex ordine *Scrofularinearum*, folia ovata v. ovato-lanceolata acutiuscula, margine crenata, rugosa, reticulato-venosa, tactu mollia utrinque pubescentia, subtus pallidiora et densius pilosa, infima longe petiolata, caulina inferiora in petiolum decurrentia, suprema sessilia.

Odor nullus, sapor peramarus, subacris.

Primo efflorescentiae tempore colligantur et resectis petiolis rejectisque foliis radicalibus nervo medio nimis valido donatis siccentur.

326. Folia Farfarae.

Tussilaginis Farfarae Linn. plantae *Compositae* in solo argillaceo humido ubique vulgaris, folia mere radicalia, aestate post scapos floriferos nascentia, petiolata, cordato-subrotunda, sinuato-angulata, denticulata, superne laete viridia glabra, subtus albo-tomentosa, inodora, saporis mucilaginosi, subamaro-austeri, sicca serventur.

327. Folia Hepaticae.
Herba Hepaticae nobilis.

Hepaticae trilobae Chaix *(Anemones Hepaticae* Linn.*)* herbae vernae in montosis sylvaticis degentis e *Ranunculacearum* ordine, folia

radicalia longe petiolata, cordato-triloba, lobis integerrimis, adulta supra glabrata, nitida, viridia, subtus cum petiolis villosa, tandem purpurascentia, subcoriacea.

Odor nullus, sapor cum acritate paululum acerbus.

†328. Folia Hyoscyami.

Hyoscyami nigri Linn. plantae *Solanaceae* biennis, in ruderatis obviae, folia inferiora subpetiolata, superiora amplexicauli sessilia, omnia oblongo-ovata, acuta, profunde sinuato-dentata, tactu mollia, viscido-villosa, odoris peculiaris narcotici, saporis fatui, amariusculo-subacris.

Nonnisi e planta bienni caulescente ante florum anthesin decerpantur.

329. Folia Juglandis.

Juglandis regiae Linn. arboris sui ordinis, inter cultas notissimae folia impari pinnata, quinque-novemjuga, foliolis ovato-oblongis acutis, subtus in venarum axillis pubescentibus. Foliola a petiolo communi soluta et cito siccata serventur. Recentia si teruntur, odorem peculiariter aromaticum exhalant.

†330. Folia Laurocerasi.

Pruni Laurocerasi Linn. arboris in Oriente sponte crescentis ex ordine *Amygdalearum*, apud nos passim in frigidariis ad usus pharmaceuticos cultae, folia coriacea sempervirentia, petiolo brevi tereti, superne canaliculato suffulta, quatuor sexve pollices longa, oblongo-obovata, acuta, argute serrata, utrinque glabra, supra lucida, subtus pallidiora, opaca, venosa, nervo medio prominulo, ad venarum inferiorum axillas foveolato. — Odor tritorum amygdalinus, sapor aromaticus, styptico-amarus.

Folia collecta statim in usum convertantur, nec siccata serventur.

331. Folia Malvae.

Malvae rotundifoliae Linn. et *Malvae sylvestris* Linn. plantarum sui ordinis, apud nos vulgarium folia longe petiolata, cordato-orbicu-

laria, angulata vel sublobata, lobis obtusis, subduplicato-crenato-dentatis, pilosula, supra saturate viridia, subtus pallidiora, inodora, saporis herbaceo-mucilaginosi.

Folia e plantis florentibus colligenda sunt.

332. **Folia Melissae.**

Melissae officinalis Linn. plantae *Labiatae,* in Europa australi indigenae, passim in hortis satae folia caulina, longe petiolata, cordato-ovata obtusa, grosse crenato-serrata, supra saturate viridia, sparsim pilosa, subtus pallidiora, glabriuscula, rugoso-venosa, grate citri odora, saporis aromatici, amariusculi, subadstringentis.

Paulo ante florum anthesim collecta et cito siccata in vase bene clauso ne ultra annum serventur.

333. **Folia Menthae crispae.**

Menthae crispae Linn. plantae *Labiatae,* in Europa australi indigenae, apud nos in hortis satae, folia breviter petiolata, cordata vel ovata, bulloso-rugosa, dentata, dentibus productis, saporis et odoris aromatici peculiaris, sub tempore florescentiae collecta.

334. **Folia Menthae piperitae.**

Menthae piperitae Linn. plantae *Labiatae,* passim in hortis cultae, folia longius petiolata, ovalia et oblonga, acuta, argute serrata, supra glabra, subtus subhirsuta, fragrantia, saporis peculiariter aromatici, frigoris sensum in ore excitantis, e stirpe florenti decerpta.

† 335. **Folia Nicotianae.**

Nicotianae Tabacum Linn. plantae *Solanaceae* in America meridionali indigenae, apud nos cultae, folia magna oblonga v. ovato-lanceolata, integerrima, acuta, sessilia vel in caule decurrentia, saturate viridia, subtus pallidiora ad nervos pubescentia, tactu pinguia, subcarnosa. Odor peculiaris, gravis, sapor acris, amaro-nauseosus.

Folia siccata venalia tantummodo habeantur.

336. Folia Persicae.

Amygdali Persicae Linn. arboris *Amygdaleae* in Persia indigenae, apud nos cultae folia breve petiolata, lanceolata, acutinata, argute serrata, glabra, nitida.

337. Folia Pulmonariae.

Folia Pulmonariae maculatae.

Pulmonariae officinalis Linn. herbae *Asperifoliae* in sylvaticis udis vulgaris folia integerrima acuta vel acuminata, obscure viridia, subtus pallidiora, mollia, quandoque pallide maculata, fasciculorum lateralium sterilium cordata v. ovata longe petiolata, caulina inferiora spatulato-ovata, petiolo late alato, superiora ovato-oblonga, sessilia subdecurrentia, inodora, sapore mucilaginoso-subadstringente.

338. Folia Rosmarini.

Folia Rosmarini hortensis. Folia Anthos.

Rosmarini officinalis Linn. fruticis ex ordine *Labiatarum*, in Europa australi indigeni, passim in hortis culti, folia anguste lineari-lanceolata, obtusa, margine integerrimo revoluta, supra profunde viridia rugosa, medio sulcata, subtus albo-tomentosa, nervo prominente, odore aromatico gravi, sapore in recentibus acri, terebinthaceo, in sicco multo minore.

339. Folia Salviae.

Salviae officinalis Linn. plantae *Labiatae*, in Europa australi indigenae, inter hortenses notissimae, folia petiolata, oblonga, crenulata, rugosa, villosa, crassiuscula. Odor fragrans, aromaticus, sapor similis amariusculus et adstringens.

Folia sub florum anthesi, sicca tempestate, legenda.

340. Folia Scabiosae.

Knautiae arvensis Coult. var. *diversifoliae* Neilr. (*Scabiosae arvensis* Linn.) herbae *Dipsacearum* ordini accensendae, in pratis et

agris arenosis trivialis folia ovata, elliptica v. oblonga, hirsuta, omnia v. superiora lyrato-pinnatifida, laciniis lanceolatis v. linearibus, acutis plerumque integerrimis, inferiora in petiolum decurrentia, superiora sessilia, inodora, saporis amaricantis subadstringentis.

341. Folia Scolopendrii.

Herba Scolopendrii seu Linquae cervinae.

Scolopendrium officinarum W. e classe *Filicum,* in regionibus montanis Europae meridionalis et Germaniae subalpinis obvium, frondibus (foliis) indivisis, (raro apice incisis) breviter petiolatis, basi subcordatis, oblongis, integerrimis, fere pedalibus, laevibus, laete virentibus, soris oblongis, obliquis, parallelis, indusio spurie bivalvi.

Herbae recentis odor peculiaris, filicinus, sapor subdulcis adstringens.

342. Folia Sennae alexandrinae.

Cassiae lenitivae Bisch. plantae sui ordinis folia, maximam partem Sennae alexandrinae, quae prostat, efficientia, lanceolata, acuta, mucronata, basi inaequalia, breviter petiolata, superne ex ochroleuco viridia, subtus glauca, nervosa, pubescentia; et

Cassiae obovatae Collad. plantae sui ordinis folia obovata vel ovalia, retusa cum mucrone exiguo, vix pubescentia.

343. Folia Sennae sine resina.

℞. **Foliorum Sennae alexandrinae** *q. v.*
Macera per viginti quatuor horas in:
Spiritus vini rectificatissimi *s. q.*
deinde exprime et sicca.

†344. Folia Stramonii.

Daturae Stramonii Linn. herbae *Solanaceae,* inter plantas ruderales obviae folia longe petiolata, late ovato-acuminata, sinuato-dentata, supra saturate viridia, subtus pallidiora, siccata serventur.

Sapor amarus nauseosus, odor recentium admodum nauseosus, siccatorum fere nullus.

345. Folia Taraxaci.

Taraxaci officinalis Wigg. (*Leontodontis Taraxaci* Linn.) plantae *Compositae* ubique obviae folia radicalia caespitosa, oblonga vel lineari-lanceolata, polymorpha, runcinato-pinnatifida, dentata vel integerrima, glabra vel juxta nervum medium pubescenti-scabra vel lanuginosa. Legantur vere ante scapi floriferi perfectam evolutionem, in solo pingui nascentia.

346. Folia Theae.

Theae viridis Linn. fruticis e *Ternstroemiacearum* ordine in Chinae et Indiae orientalis regno Assam indigeni, ibidem nec non in Japonia sedulo culti folia diversimode siccata nec raro particulis plantarum variarum fragrantibus admixtis, iisdem ac radix Rhei viis ad emporia nostra advehuntur. Secundum colorem aut nigricantem aut viridescentem, e siccandi ratione, uti tradunt, pendentem, duo maxime mercis genera distinguuntur, quae pro vario adspectu et odore in numerosas rursus varietates discedunt.

Varietatum nigricantium, vulgo „Thea russica“ dictarum, optima celebratur Pekko (Pekoe, Pak-ho), referens folia 1 — 3 pollices longa, elliptico-oblonga, margine serrulata, interdum bina-quaterna ramulo adhuc adhaerentia, subcoriacea, olivaceo-pulla, juniora subtus argenteo-tomentosa, supra glabra, involuta, adultiora subtus praecipue ad nervum medium pilosa, supra glabra, pleraque margine revoluta. Inter varietates colore viridi insignes notissima illa, quam Perl-Thee (Thea viridis imperialis) vocant. Constat foliis tenerioribus supra laevibus, subtus tenuissime puberulis manu contortis et insuper in globulos circinatim involutis, glaucescenti-prasinis, subpruinosis. Odor utriusque generis peculiariter aromaticus, sapor herbaceus, subamarus.

†347. Folia Toxicodendri.

Rhois Toxicodendri Linn. fruticis ex ordine *Terebinthacearum*, in America boreali indigeni, apud nos in hortis culti folia ternata,

foliolis oblique ovatis, acuminatis, integerrimis, angulato- vel sinuato-dentatis, subtus sublanuginosis, terminali longius petiolato.

Vere manibus tectis caute lecta siccataque serventur.

348. Folia Trifolii fibrini.

Menyanthis trifoliatae Linn. plantae e familia *Gentianearum* indigenae scapigerae, in aquis stagnantibus et pratis paludosis vere florentis folia radicalia petiolata, ternata, subsucculenta, petiolis vaginantibus, foliolis obovatis, obtusis, subcrenatis, laete viridibus, glabris, inodoris, admodum amaris collecta siccata serventur.

349. Folia uvae ursi.

Arctostaphyli officinalis Wimm. et Grab. (*Arbuti uvae ursi* Linn.) fruticuli ex ordine *Ericinearum*, sempervirentis, in montibus calcariis Europae crescentis folia uncialia obovato-cuneiformia, apice subrecurva, integerrima, glabra, rigide coriacea, supra saturate viridia, subtus pallidiora, reticulato-venosa, inodora, saporis amariusculi, adstringentis.

Siccata serventur. Cave confundas cum foliis Vaccinii Vitis ideae, majoribus, margine revolutis, subtus fusco-punctatis.

350. Folia Vincae pervincae.

Vincae minoris Linn. plantae *Apocyneae* in umbrosis et sylvaticis Europae crescentis folia ovata, ovalia et lanceolata, acuta vel obtusa, integerrima, glabra, marginibus scabra.

351. Formica rufa.

Formicae rufae Linn. insecti *Hymenopteri*, in sylvis acerosis Europae gregatim degentis individua neutra, aptera, rufa, capite, postice et abdomine nigricante, odorem acidum peculiarem spargentia.

Nonnisi viva et bene a quisquiliis purgata adhibeantur.

352. Fraga.

Fragariae vescae Linn. plantae *Rosaceae* cuivis notae fructiferae, receptacula carnosa, a calycibus mundata, recentia.

Fraga bene matura et in montibus nata elige. Varietates hortenses rejice.

† 353. Frondes Sabinae.

Juniperi Sabinae Linn. fruticis ex ordine *Cupressinearum*, in subalpinis Europae crescentis summitates ramulorum, foliis decussatim oppositis, squamaeformibus, rhombeis, obtusiusculis, erecto-adpressis, dorso glandula oblonga impressa notatis, ecarinatis tectae. Sapor nauseosus, amarus, resinoso-balsamicus, odor gravis. Collectae et siccatae caute serventur.

† 354. Frondes Taxi.
Taxus.

Taxi baccatae Linn. arboris *Coniferae*, in Europa indigenae, in hortis plerumque frutescentis, ramuli novelli, foliis alternis, subdistichis, breve petiolatis, lineari-falcatis, acuminatis.

† 355. Frondes Thujae occidentalis.

Thujae occidentalis Linn. arboris sempervirentis, ex ordine *Cupressinearum*, in America spontaneae, apud nos in hortis passim fruticosae ramuli ancipites, foliis squamaeformibus quadrifariam imbricatis, late ovatis, obtusis, in utraque ramuli facie lucidis, marginalibus navicularibus, facialibus planis, carinatis, dorso glandula tuberculiformi ovali. Nonnisi recentes adhibeantur.

Cave confundas cum frondibus Biotae orientalis Endl. (Thujae orientalis Linn.) in hortis simul cultae, foliorum facialium glandula lineari distinguendis.

356. Fructus Anisi stellati.
Semina Anisi stellati seu Badiani.

Carpidia *Illicii anisati* Linn. arboris sinensis e *Magnoliacearum* familia, sena usque octona, singuli floris proles, circa columellam

centralem verticillatim contigua, libera, plerumque inaequalia, subovata, a latere compressa, basi subventricosa, apice juxta suturam ventralem bivalvia, coriaceo-sublignosa, e griseo ferruginea, extus rugulosa, intus laevigata, semine solitario, compresso, testa castanea nitida vestito foeta, Anisi odore sed multum gratiore, sapore cum aliqua dulcedine aromatico, subacri.

357. Fructus Aurantii.

Citri Aurantii Linn. arboris *Aurantiaceae*, fructus pomiformes notissimi venales, cortice coriaceo spongioso, oleo aethereo gravi.

358. Fructus Capsici annui.
Capsicum.

Capsici annui Linn. herbae *Solanaceae*, in America meridionali indigenae, nunc autem in regionibus calidioribus totius orbis cultae baccae (sub nomine Piperis hispanici, indici v. turcici venales) siccae, subcarnosae, multiformes, oblongae, ovatae v. conicae, basi saepe subcordatae, laeves, nitidae, flavae v. rubrae, tenaces, intus biloculares, seminibus plurimis, albis lentiformibus. Odor nullus, sapor fervidus, mordax. Pulvis nares vehementer lacessit, quare sub triturando summa cautione opus est.

Fructus a plantis in regionibus meridionalibus cultis collecti in officinis serventur.

359. Fructus Cerasorum nigrorum.

Pruni avium Linn. arboris, ex *Amygdalearum* ordine, apud nos sylvaticae drupae maturae, subglobosae, epidermide atro-purpurascente, parenchymate carnoso, succo sanguineo dulci turgescente, putamine rotundato-ovato acuto, semine albo, striato, odore et sapore Amygdalas amaras aemulante. Exsiccatae serventur.

360. Fructus Citri.

Citri medicae Linn. arboris e familia *Aurantiacearum*, in Europa australi passim cultae fructus (mala citrea dicti) notissimi, ovales,

utrinque mammillato-acuminati, sub cortice, pallide-flavo coriaceo suberoso, glandulis oleiferis rugoso, concelantes parenchyma diaphanum, succo acidissimo foetum.

†361. **Fructus Colocynthidis.**

Cucumeris Colocynthidis Linn. plantae *Cucurbitaceae*, in Oriente cultae, pepo subglobosus, mali magnitudine, siccatus et decorticatus adfertur, sistens substantiam spongiosam et levissimam, albam, sexlocularem, amarissimam, inodoram, includentem semina plurima, ovata, utrinque compressa, albida. Seminibus remotis adhibeatur.

Colocynthides octoloculares, minus amarae, ex ignota adhuc specie collectae, rejiciantur.

†362. **Fructus Elaterii.**

Ecbalii agrestis Reichenb. (*Momordicae Elaterii* Linn.) plantae *Cucurbitaceae*, in Europa australi indigenae, nobis in hortis cultae pepones sesquiunciales vel biunciales, cylindrici, luteo-virides, muricati et setis rigidis undique tecti, triloculares, in succo mucilaginoso amarissimo semina plurima, ovalia, fusca vel nigra includentia.

Fructus ante perfectam maturitatem caute decerpendi, ne succum cum seminibus explodant, et statim ad parandum extractum Elaterii adhibendi.

363. **Fructus Pruni siccati.**

Drupae exsiccatae *Pruni domesticae* Linn. arboris ex Oriente probabiliter olim advenae, apud nos cultae, ex *Amygdalearum* familia notissimae.

364. **Fructus Tamarindi.**

Pulpa leguminum *Tamarindi indicae* Linn. arboris spectabilis, e familia *Caesalpinearum* in India orientali, nec non in Africae borealis tropicis subtropicisque sponte nascentis, in insulas Antillanas translata, substantiam sistens carnosam, intra pericarpium crustaceum fragile et

endocarpium corneum sitam. A peregrinis cortice rejecto malaxata et venumdata refert massam irregularem fusco-nigram, tenacem, e pulpa ipsa, adhaerente endocarpio et seminibus duris splendentibus, fuscis, compressis, interpositis, nec non fibrillis lignosis quandoque intextis conflatam, odoris vinosi, saporis grate aciduli, subadstringentis. Caveto a merce fusca, sapore nimis acerbo praedita, aut Cupro inquinata.

365. Galbanum.

Gummiresina e *Ferula erubescente* Boiss., planta *Umbellifera* Persiae, collecta, prostat in granis pisi magnitudine, oblongis, discretis vel in massam e viridi et rubro flavescentem compactis, plus minus diaphanis v. opacis, resinoso-nitentibus. Cerae in modum tenax, nonnisi frigore et difficulter in pulverem redigitur. Odor gravis, nauseoso-balsamicus, sapor cum acredine amarus. Solvitur nonnisi pro minore parte in spiritu vini, trita cum aqua emulsionem praebet.

Eligatur merces purior, e granis vel e massis constans, quibus grana plurima lactea insunt.

366. Gallae Quercus turcicae.

Excrescentiae e gemmis foliiferis *Quercus infectoriae* Linn. arboris *Cupuliferae* sempervirentis in Oriente indigenae, ictu *Cynipis Gallae tinctoriae* Oliv. (*Cynipis tinctoriae* Hartig) laesis nascentes, globosae, durae, ponderosae, extus plus minus verruculosae, viridicaesiae, nigrescentes v. fuscae, intus densae, griseo-fuscae, flavicantes, centro cavae, insecti nympham includentes, odoris nullius, saporis admodum adstringentis. Eligantur Gallae ponderosae, densae, extus verrucosae, rejiciantur leves, spongiosae, verrucis carentes, perforatae, ejusdem v. affinium insectorum ictu in Quercubus variis Europae australis et etiam nostratibus natae.

367. Gelatina Carragheen.

℞. **Carragheen**	*drachmas tres,*
eoque cum	
Aquae fontanae	*libra una*
ad colaturam	*unciarum trium,*

in qua per linteum fortiter expressa solve:
Sacchari albi *unciam unam.*
Refrigerando fiat gelatina ponderis *unciarum quatuor.*
Ex tempore paranda.

368. Gelatina Lichenis islandici.

℞. **Lichenis islandici aqua frigida bene loti** *unciam unam.*
Coque in
Aquae fontanae *libra una*
ad colaturam *unciarum sex,*
deinde solve
Sacchari albi *unciam unam,*
leni calore inspissa et iterum cola ad pondus *unciarum quatuor.*
Frigefacta in gelatinam coëat.
Ex tempore paranda.

369. Gelatina Lichenis islandici pulverata.

℞. **Gelatinae Lichenis islandici ex tempore paratae** *q. v.*
In patina porcellanea sub continua agitatione inspissatam et deinde in furno siccatam redige in pulverem.
Serva in vase vitreo, optime clauso.

370. Gelatina Liquiritiae pellucida.

℞. **Radicis Liquiritiae decorticat. et siccae** *unciam unam,*
contusa infundatur cum:
Aquae fontanae *libris sex.*
In colatura solve:
Gummi arabici electissimi *libras duas,*
Sacchari albi *uncias viginti.*
Solutio iterum colata leni igne evaporetur *ad medietatem.*
Deinde spuma et pellicula supernatante accurate detractis adde:
Aquae Aurantiorum florum *unciam unam.*

Massam infunde in capsulas chartaceas et siccam in frustula minora scinde.

Sit diaphana, fusco-flava.

371. Gemmae Populi.

Populi nigrae Linn. arboris e familia *Salicinearum* indigenae, gemmae e perulis resinoso-viscidis, suaveolentibus compositae, vere antequam dehiscant collectae et recentes adhibitae, vel siccatae in usum repositae.

372. Glandes Quercus.

Nuces (achenia) Quercuum indigenarum, imprimis *Quercus pedunculatae* Ehrh. et *Quercus sessiliflorae* Sm. e *Cupuliferarum* ordine, ovali-oblongae, obtusae, intra pericarpium coriaceo-lignosum, flavo-fuscum, laeve, nitidum, basi fere derasum includentes semen solitarium, e cotyledonibus 2, plano-convexis, crassis, cartilagineo-carnosis, pallide viridescentibus, ope radiculae immersae leviter cohaerentibus ideoque facile dilabentibus, testa membranacea spadicea vestitis constans. Sapor austerus.

In officinis semina pericarpio exuta servantur.

Sint perfecte matura, nec vetustate insectisve corrupta.

373. Glandes Quercus tostae.

Semina Quercuum e pericarpiis exemta, et leni igne siccata, in vase ferreo sub continua agitatione tamdiu torreantur, donec colorem fuscum induerint, et facile frangantur. Refrigerata in pulverem grossiusculum contunde.

374. Graphites seu Plumbago.

Fossile, structurae lamellosae vel densae, griseo-nigrescens, metallico-nitens.

375. Graphites elutriatus.

℞. **Graphitis subtilissime pulverati** *q. v.*

optime cum

Aquae fontanae *s. q.*

elutria.

Sit pulvis subtilissimus, griseo-niger.

376. Gummi arabicum.
Gummi Mimosae.

Succus aëre induratus e variis *Acaciae* et *Mimosae* speciebus, arboribus *Leguminosis* in Africae borealis desertis crescentibus sponte manans. Occurrit substantia notissima in frustulis plus minus globosis, albicantibus vel flavis, vitreo-nitentibus, magis aut minus pellucidis, fractura conchoidea dissilientibus, inodoris, saporis fatui. In spiritu vini insolubile, in aqua frigida et calida facile solvitur. Calore minime liquatur, et intumescendo difficulter comburitur.

Pro usu pharmaceutico nonnisi album, electum adhibeatur.

377. Gummi Guajaci.
Guajacum nativum.

Succus resinosus inspissatus *Guajaci officinalis* Linn. arboris insularum Antillanarum ex ordine *Zygophyllearum*, nigro-viridis, fragilis, in frustis majoribus opacus, minoribus pellucidus, saporis subamari, acris, super pruna injectus odoris specifice grati.

Pulvis luci expositus virescit.

Guajacum nativum ab artefacto cognoscitur minori in spiritu vini solubilitate.

Solutio alcoholica cum aqua destillata mixta, continuo lactea, post aliquot horas sit coerulea.

378. Gutta Percha.

Isonandrae Guttae Hook. arboris *Sapoteae* in insulis Indiae orientalis majoribus occurrentis succus lacteus induratus. Venumdatur in massis ponderosis, quisquiliis variis inquinatis, coriaceis, fulvis vel flavescentibus, rarius albidis, opacis, duris. Temperatura 50° C. superante fit elastica, ad 65 — 70° C. aucta demum plastice emollitur.

Aqua fervida diutius contrectata a quisquiliis adhaerentibus depurgetur.

†379. Gutti.

Gummi Guttae.

Gummiresina ex Asia tropica, imprimis e China advecta, ex arboribus *Hebradendro cambogioide* et *Xanthochymo ovalifolio* Roxb. ordinis *Clusiacearum* manans. Occurrit in frustis majoribus, compactis, fractura conchoidea facile dissilientibus, luteo-rubris. Trita praebet pulverem citrinum, madefacta colorem laete flavum. Sapor cum aliqua dulcedine acris.

380. Helminthochorton.

Sphaerococci Helminthochortos Agh., *Sphaerococci confervoidis* Agh. et *Ceramii fruticulosi* Roth., *Algarum* ad litora insulae Corsicae nec non Dalmatiae submarine crescentium thallus ramosissimus, filiformis, purpureus vel fuscescens, ramulis tenuissimis teretibus, uni-bipollicaribus, extus transversim striatis, articulatis, sporangiis oblongis vel globosis, lateralibus, sessilibus.

Cave, ne nimia aliarum Algarum et Zoophytarum vel arenae adhaerentis copia sit inquinatum.

381. Herba Absinthii.

Artemisiae Absinthii Linn. plantae indigenae *Compositae* herba, ante florum anthesim collecta et siccata. Sistit folia tomento tenui, imprimis subtus incana, alia radicalia triplicato-pinnatifida, alia caulina bipinnatifida pinnatifidave.

Odor gravis aromaticus, sapor acri-aromaticus, amarissimus.

†382. Herba Aconiti.

Aconiti Napelli Linn. et varietat. plantarum indigenarum monticolarum e familia *Ranunculacearum*, herba recens, brevi ante florum

evolutionem collecta. Exhibet folia alterna palmatisecta, nitida, utrinque glaberrima, supra saturate viridia, subtus pallidiora, lobis cuneiformibus, plerumque quinque, trifidis, segmentis tripartitis vel dentato-incisis.

Odor tritae nauseosus, sapor primum vix manifestus, deinde acerrimus.

Herbam in hortis cultam rejice, et nonnisi recentem adhibe.

383. **Herba Adianti.**
Capilli Veneris.

Adianti Capilli Veneris Linn. *Filicis* in Europae australioris rupibus humidiusculis nascentis frondes tenellae decompositae, stipite atro-fusco nitido, ramulis filiformibus, laciniis stipitatis obovato-cuneiformibus, laete viridibus, nervosis, superne inciso-lobatis, lobis crenatis, margine sorum linearem, indusio squamaeformi velatum gerentibus.

Trita vel aqua fervente infusa odorem spargit grate aromaticum. Sapor dulciusculus, modice adstringens, cum aliqua amaritudine subacri.

384. **Herba Asteri montani.**

Inulae squarrosae Linn. plantae *Compositae* in sylvaticis ac montanis Istriae, Dalmatiae et Italiae superioris occurrentis herba florida caule erecto, anguloso, valde folioso, cubitali, foliis coriaceis, sessilibus, oblongis, acutis, cum marginibus remote minuteque serrulatis, ad nervos subtusque scabris, capitulis campanulatis, corymbose confertis, involucri squamis imbricatis coriaceis, late ovatis, apice patulo-reflexis, margine scabris, receptaculo epalcato.

†385. **Herba Belladonnae florida.**

Atropa Belladonna Linn. planta *Solanacea* in sylvaticis totius Europae obvia, radice crassa, fusiformi, ramosa, caulibus 4 — 6 pedalibus, rubro-fuscis, ramosis, foliis alternis, vel binis approximatis, ovatis, acutis, brevi-petiolatis, integerrimis, mollibus, glabris, subtus ad venas glanduloso-puberulis, floribus axillaribus solitariis, nutantibus, campanulatis, sordide purpurascentibus.

386. Herba Calendulae.

Calendulae officinalis Linn. plantae *Compositae* inter hortenses admodum vulgaris herba cum capitulis nascentibus collecta et siccata, tota breviter glanduloso-pilosa, foliis spathulato-lanceolatis, inferioribus sessilibus, superioribus amplexicaulibus, capitulis in apice ramorum solitariis. Odor recentis nauseoso-balsamicus, sapor amarus, subsalsus.

†387. Herba Cannabis.

Cannabis sativae Linn. herbae dioicae proprii ordinis, in Asia indigenae, longe lateque cultae, summitates plantarum pistilligerarum in officinis obviae sistunt ramulos foliis scabris, infra pallidioribus, inferioribus oppositis, superioribus alternis, palmatisectis, segmentis lanceolatis, serratis, foliis floralibus interdum indivisis, linearibus subintegerrimis, floribus viridescentibus, inconspicuis, axillaribus, spicas foliatas formantibus. Herba recens trita gravem, narcoticum spargit odorem.

388. Herba Centaurii minoris florida.

Erythraeae Centaurii Pers. *(Gentiana Centaurium* Linn.*)* plantae biennis indigenae ex ordine *Gentianearum* in sylvaticis montanis vulgaris herba cum summitatibus floridis, exhibet caules simplices, folia opposita, sessilia, ovalia et ovato-lanceolata, obtusa, integerrima, trinervia, glabra et cymas terminales fasciculatas, e floribus compositis pentameris, calyce tubuloso, corolla infundibuliformi rubella praeditis. Odor nullus, sapor admodum amarus. Colligatur herba cum floribus perfecte apertis, antheris pulvere emisso in spiram contortis et remotis caulibus aut ramis crassioribus siccetur.

†389. Herba Chelidonii majoris.

Chelidonii majoris Linn. plantae perennis *Papaveraceae*, in humidis umbrosis et ruderatis pinguibus Europae totius crescentis, succo croceo amaro-acri turgidae, divaricato-ramosae, foliis pinnatipartitis, lobis

ovatis, sinuato-lobulatis, flavo-viridibus, floribus umbellatis luteis, herba recens ante florum anthesim collecta.

390. **Herba Chenopodii ambrosioidis.**

Chenopodii ambrosioidis Linn. plantae *Chenopodeae* annuae in America calidiore, imprimis in Mexico sponte crescentis, apud nos in hortis cultae, herba florida, exhibet caules erectos, folia alterna, petiolata, lanceolata, acuta, serrato-dentata, dilute viridia et flores minutos, globosos, virides, in racemos axillares et terminales simplices dispositos. — Herbae recentis odor fragrans, siccae si teritur camphorato-terebinthaceus, sapor camphorato-aromaticus, subrefrigerans, amariusculus

†391. **Herba Conii maculati.**

Conii maculati Linn. plantae nostratis *Umbelliferae*, in hortis et ruderatis vulgaris, odoris peculiariter nauseosi, caule maculis viscidis rubris consperso insignis, folia tripinnati-partita, laciniis oppositis, lacinulis pinnatifidis, summis confluentibus inciso serratis, ante florum anthesim collecta et rejectis petiolis crassioribus tum recentia adhibenda, tum siccata in vase bene clauso servanda.

392. **Herba Equiseti.**

Equiseti arvensis Linn. herbae sui ordinis, in pratis et agris humidis Europae sat frequentis, caules steriles sulcati, fistulosi, articulati, scabriusculi, virides, juxta articulos vagina scariosa 5 — 15 dentata cincti, ibidemque verticillatim ramosi, ramis cauli conformibus.

393. **Herba Fumariae.**

Fumariae officinalis Linn. et *Fumariae Vaillantii* Rich. plantarum *Papaveracearum* in agris et cultis passim crescentium herba recens et sicca, foliis in caule flaccido, succoso alternis, duplicato-pinnatipartitis, laciniis linearibus, glaucescenti-viridibus, glabris.

Odor nullus, sapor amarus, siccatae magis salsus.

394. Herba Galeopsidis grandiflorae.

Galeopsidis grandiflorae Ehrh. (*Galeopsis ochroleuca* Linn.) plantae *Labiatae* annuae, in agris et arvis arenosis Germaniae mediae et occidentalis vulgaris, herba florida, absque radice, minutim concisa et sub nomine Theae Blankenheimensis v. Herbae Liberianae nota. Caulem habet pedalem, erectum, pilis adpressis mollibus pubescentem, ad geniculos haud tumidum, ramosum. Folia opposita, petiolata, basi integerrima, caulina ovata, ramorum ovato-lanceolata, utrinque subsericeo-pilosa, flavescenti-viridia, subtus pallidiora, tactu mollia. Florum verticilli inferiores remoti, superiores approximati. Calyces campanulati viscoso-pilosi, aristato-quinquedentati, corollae bilabiatae, ochroleucae, calyce multo longiores.

Herbae tritae odor subbalsameus, sapor subsalso-amaricans, mucoso-fatuus.

†395. Herba Gratiolae.

Strychni Nucis vomicae Linn. arboris indicae ex ordine *Loganiacearum* semem discoideum, pollicis dimidii circiter diametro, lineae crassitie saepe subarcuatum, ambitu tumidum, hinc centro umbonatum, pilis minutissimis, sericeis, cinereo-ochroleucis adpressis vestitum, constat ex integumento tenui arcte adhaerente, et ex albumine corneo, albido, bipartibili, basi embryonem minimum concelante, inodoro, saporis amarissimi, nauseosi. Pulvis Nucis vomicae venalis, variis substantiis fraudulenter admixtis inquinatus, nequaquam adhibeatur.

509. Oleum Amygdalarum dulcium.

℞. **Amygdalarum dulcium** *q. v.*

in pulverem grossum redactas et sacculis linteis v. chartaceis inclusas primum leniter, deinde fortissime in prelo torculari exprime.

Oleum per chartam bibulam filtratum serva.

510. Oleum animale aethereum.

Oleum animale Dippelii.

℞. **Olei animalis foetidi** *q. v.*

Destilletur e retorta vitrea tubulata, ut oleum tenue eliciatur.

Hujus Destillati *pars una*

cum

Aquae destillatae *partibus quatuor*

iterum destilletur blando calore, quamdiu oleum decolor prodierit.

Servetur in lagenulis vitreis optime clausis, arena submersis, loco obscuro.

Sit limpidum, decolor vel pallide flavescens, odoris gravissimi, in spiritu vini et aethere solubile.

511. **Oleum animale foetidum.**
Oleum Cornu Cervi.

Liquor oleosus, destillatione sicca ex ossibus, sanguine, aliisque partibus animalium in officinis chemicis paratus, spissiusculus, fusco-niger, opacus, odoris foetidissimi, saporis empyreumatici, acris.

Sit consistentia olei Amygdalarum spissius, in aqua supernatet, et pro minima parte solvatur; in spiritu vini autem ex integro fere solubile.

512. **Oleum Anisi.**

℞. **Seminum Anisi vulgaris** *libras duas.*
Macera in
Aquae fontanae *libris sedecim*
per duodecim horas.

Fiat destillatio ex vesica cum alembico stanneo, apposito excipulo florentino, donec aquae dimidium vel duae trientes transierint.

Aqua destillata, demto oleo supernatante, iterum seminibus affundatur, aqua recenti super addita, ut sit octuplum seminum, et toties cohobetur, donec sufficiens olei aetherei quantitas obtenta fuerit, quod ab aqua separatum servetur.

513. **Oleum anthelminticum Chaberti.**
Oleum contra Taeniam.

℞. **Olei Terebinthinae** *uncias duodecim,*
Olei animalis foetidi *uncias quatuor.*

Mitte in retortam vitream ope infundibuli curvati, adjuncto excipulo, blanda destillatione eliciantur *unciae duodecim.*

Statim in lagenulas vitreas optime clausas immitte.

514. **Oleum Aurantii florum.**
Oleum Neroli.

Oleum venale, e floribus Aurantii destillatione paratum.

Sit limpidum, fere decolor, odoris fragrantissimi, suaveolentis.

515. Oleum Aurantiorum corticum.

Oleum venale, e cortice fructuum *Aurantiorum* partim expressione, partim destillatione paratum. Sit limpidum, subflavescens, tenuissimum, odoris et saporis grate aromatici cum amaritudine.

516. Oleum Bergamottae.

Oleum venale, e cortice fructuum varietatis peculiaris Citri medicae, laceratione epidermidis et expressione paratum. Sit sublimpidum, flavescens, odoris gratissime aromatici, saporis cum aliqua acredine amaro-aromatici.

517. Oleum Cajeputi depuratum.

Oleum venale, e ramis et foliis *Melaleucae Cajeputi* Roxb. aliarumque specierum, arborum ex ordine *Myrtacearum*, in India orientali ope destillationis paratum, tenue, viride aut rarius flavescens, pellucidum, odoris penetrantis aromatici, camphorini, saporis aromatico-arcis.

Cupri vestigiis inquinatum nova destillatione cum aqua purgetur.

518. Oleum camphoratum.

℞. **Camphorae in pulverem contritae** *unciam unam.*
Solve in:
Olei Olivarum *unciis duabus.*

519. Oleum Carvi.

E seminibus Carvi parctur, ut oleum Anisi.

520. Oleum Caryophyllorum.

Oleum venale, e Caryophyllis destillatione paratum.
Sit limpidum, tenue, coloris flavescentis, odoris fragrantissimi.

521. Oleum Cerae.

℞. **Cerae flavae rasae**
Calcariae causticae pulveratae *āā libram unam.*

Mixta destillentur in balneo arenae e retorta vitrea, ignem sensim augendo.

Oleum obtentum iterata destillatione cum

Calcariae causticae *parte aequali*

rectificetur et decolor reddatur.

522. Oleum Chamomillae.

℞. **Florum Chamomillae** *libras decem,*

Aquae fontanae *libras centum.*

Macera per duodecim horas, deinde fiat destillatio, donec aquae pars dimidia transierit.

Aqua destillata, oleo saturata cum aquae fontanae sufficiente quantitate novis floribus affundatur ad novam destillationem, et hanc operationem toties repete, donec olei aetherei sufficientem copiam habueris.

523. Oleum Cinnamomi.

Oleum venale, e cortice Cassiae cinnamomeae destillatione paratum. Sit limpidum, flavescens.

524. Oleum Citri.

Oleum de Cedro.

Oleum venale, e cortice fructuum Citri expressione paratum. Sit limpidum, decolor v. subflavescens, odoris Citri vehementis.

†525. Oleum Crotonis Tiglii.

E seminibus Crotonis Tiglii decorticatis paretur, ut oleum Amygdalarum dulcium.

Facile rancescit.

526. Oleum Foeniculi.

E seminibus Foeniculi paretur, ut oleum Anisi.

527. **Oleum Hyosciami foliorum coctum.**

℞. Foliorum Hyosciami recentium *libram unam,*
Olei Olivarum *libras quatuor.*
Coque ad humidi consumtionem; expressum et filtratum serva.

†528. **Oleum Hyosciami seminum pressum.**

E seminibus Hyosciami contusis et aquae bullientis vaporibus impraegnatis paretur, ut oleum Amygdalarum dulcium.

529. **Oleum Jecoris Aselli flavum.**

Ex hepate recenti *Gadi Morrhuae* Linn., *Gadi Callariae* Linn. et aliarum specierum affinium, piscium *Gadoideorum* maris septemtrionalis, sponte effluens, pingue, spissiusculum, pellucidum, coloris flavescentis v. aurei, odoris et saporis debilis piscini.

530. **Oleum Jecoris Aselli fuscum.**
Oleum Jecoris Aselli empyreumaticum.

Ex hepate assato v. putrido specierum Gadi maris septemtrionalis paratum, opacum, coloris badii, adversus lucem caeruleo-viridis, odoris et saporis nauseosi, subputridi, empyreumatico-acris.

531. **Oleum Juglandis nucum.**

Paretur e nucibus Juglandis, e putaminibus exemptis non nimis vetustis, ut oleum Amygdalarum dulcium.

532. **Oleum Juniperi baccarum.**

Paretur e baccis maturis Juniperi contusis, ut oleum Anisi.

533. **Oleum Lauri.**

Oleum venale, e baccis recentibus Lauri ope coctionis cum aqua et expressione paratum. Sit flavo-viride, unguenti mollioris consistentia, granulatum, odoris laurini peculiaris, saporis amari.

534. **Oleum Lavandulae.**

Oleum venale, ex herba Lavandulae florida recenti paratum.
Sit subflavescens, limpidum, tenue, odoris et saporis aromatici proprii, vehementis.

535. **Oleum Liliorum.**

E floribus Lilii albi paretur, ut oleum Hyosciami coctum.

536. **Oleum Lini seminum.**

E seminibus Lini contusis paretur, ut oleum Amygdalarum dulcium.
Sit limpidum, tenue, a mucilagine purum.

537. **Oleum Macidis.**

Oleum venale, Macidis destillatione in India orientali paratum, ochroleucum vel subfuscum, odorem et saporem Macidis prae se ferat.

538. **Oleum Majoranae.**

Oleum venale, ex herba florida Majoranae destillatione paratum, coloris fusco-flavescentis, odoris minus grati, quam herba.

539. **Oleum Menthae crispae.**

E foliis Menthae crispae siccatis paretur, ut oleum Chamomillae.

540. **Oleum Menthae piperitae.**

E foliis Menthae piperitae siccatis paretur, ut oleum Chamomillae.

541. **Oleum Nucis moschatae.**
Balsamum Nucistae.

E nucibus moschatis expressione in India orientali paratum, adfertur in massis sebi spissitudine et albo variegatis, intus-aurantiaco v. rubrovenosis, odoris et saporis Myristicae moschatae.

542. Oleum Olivarum.

Oleum venale, e fructibus Oleae europaeae in Europa meridionali expressione frigida paratum, notissimum, ad usum internum non nisi purissimum (Oleum Olivarum provinciale s. virgineum) coloris pallide flavi, rancoris plane expers, adhibeatur.

543. Oleum Ovorum.

℞. **Ovorum gallinaceorum vitellos numero** *quot vis*,
calefac in sartagine stannea ope balnei vaporis sub continua agitatione, donec digitis attrectata massa guttulas olei dimittat. Tum in sacculis lineis inclusam inter preli laminas ferreas calefactas fortiter exprime. Oleum obtentum filtra et in lagenulis vitreis optime clausis serva.

544. Oleum Papaveris albi.

Oleum venale, e seminibus Papaveris albi contusis pressum.

545. Oleum Ricini.

Oleum Palmae Christi. Oleum Castoris.

E seminibus Ricini decorticatis paretur, ut oleum Amygdalarum dulcium. Sit pingue, limpidum, paulum spissum, decolor, odoris expers, saporis blandi, parum acris, in alcohole solubile.

546. Oleum Rosarum.

Oleum venale, e petalis Rosarum destillatione in Oriente paratum. Sit fere decolor, subspissum, frigore solidescens, odoris fragrantissimi.

547. Oleum Rosmarini.

Oleum Anthos.

Oleum venale, ex herba Rosmarini florida in Europa meridionali paratum, tenuissimum, limpidum, decolor, odoris proprii, penetrantis, saporis camphorati.

548. Oleum Rutae.

Oleum venale, ex herba Rutae graveolentis florida recente destillationis ope paratum, coloris lucide flavi, graveolentis, saporis ingrati, acriusculi.

549. Oleum Succini rectificatum.

Oleum venale, ex oleo Succini communi ope rectificationis paratum. Sit coloris expers, tempore flavescens.

550. Oleum Terebinthinae commune.

E Terebinthina destillatione in officinis chemicis paratum, sit tenuissimum, limpidum, odoris balsamici ingrati, saporis pungenti-acris.

551. Oleum Terebinthinae rectificatum.
Spiritus Terebinthinae.

Oleum venale, sit limpidum, decolor, absque residuo volatile, in spiritu vini rectificatissimo et aethere penitus solvatur.

552. Oleum Valerianae.

E radice Valerianae sicca concisa paretur, ut oleum Chamomillae.

553. Olibanum.
Thus.

Resina e trunco *Boswelliae serratae* Colebr. arboris Indiae orientalis, ordinis *Burseracearum*, effluens et in aëre durescens, occurrit in granis subglobosis v. oblongis, pisi v. nucis juglandis magnitudine, albo-flavescentibus v. flavo-rubellis, opacis sive subdiaphanis, extus pulverulentis, fragilibus, fractura opaca, aequali, fissili. Odor debilis, super prunis balsameus, notissimus, sapor acriusculus, cum aliqua amaritudine.

†554. Opium purum.

Opium Smyrnaeum. Meconium.

Succus lacteus e vulneratis capsulis immaturis *Papaveris somniferi* Linn. effluens, aëre induratus, in Asia minori collectus. Occurrit notissimum in placentis plerumque semilibrae pondere, Papaveris folio obvolutis, et extus fructibus Rumicis cujusdam conspersis. Opium Smyrnaeum bonae notae fracturam exhibeat quasi cereo-nitentem et structuram prodat e lacrymulis minutis dense compactam.

Sit in aqua et in spiritu vini pro maxima parte solubile, et solutio aquosa concentrata alcalium ope valde turbetur.

555. Os Sepiae.

Testa interna in dorso *Sepiae officinalis* Linn. animalis *Cephalopodi* in mari mediterraneo viventis posita, oblonga, convexo-plana, albida, friabilis.

556. Ossa usta.

Ossa usta alba. Cornu Cervi ustum album. Ossa calcinata.

Ustione ossium igne aperto usque ad albedinem parata, sistunt frusta ossium adhibitorum alba, dura, sonantia, fragilia, insipida.

557. Ova gallinacea.

Sint incorrupta et quorum vitellus ab albumine facile separetur.

†558. Oxymel Colchici.

℞. **Aceti Colchici** *libram unam.*
Mellis depurati *libras duas.*

Evapora in lebete stanneo leni calore absque ebullitione ad syrupi consistentiam, tum per manicam e panno confectam colatum, frigefactum in vase obturato in locum frigidum sepone.

†559. Oxymel Scillae.

Para cum aceto Scillae, ut oxymel Colchici.

560. Oxymel simplex.

℞. Aceti crudi *libram unam,*
Mellis depurati *libras duas.*

In lebete stanneo leni calore evapora in syrupi spissitudinem, tum cola per manicam laneam.

561. Passulae minores.

Vitis viniferae Linn. var. apyrenae, ex ordine *Ampelidearum,* baccae sole siccatae, subrotundae, dulcissimae, nigricantes, seminibus carentes.

† 562. Pasta caustica Viennensis.

℞. Kali caustici sicci *drachmas quinque,*
Calcariae causticae *drachmas sex.*

Misce et in lagena vitrea, epistomio vitreo bene obturata dispende, ex tempore paratum.

563. Pasta gummosa albuminata.

Pasta Althaeae.

℞. Pulveris Gummi arabici electi
„ Sacchari albissimi *āā libras duas.*

Solve in

Aquae fervidae *libris duabus.*

Evapora ad pastae consistentiam, sub finem addendo:

Albuminis ovorum *numero viginti*

in spumam conquassati.

Sub continua agitatione misce et tamdiu evapora, donec massae aliquantulum exemtum e spathula lignea non defluat, et manibus non adhaereat, tunc adde:

Aquae Aurantii florum *uncias duas.*

Massa per breve tempus adhuc super ignem detenta, tandem effundatur super tabulam ligneam amylo conspersam, et in locum siccum seponatur.

Sit alba, non nimium sicca, in ore facile liquescens.

564. Pasta Liquiritiae flava.

℞. **Succi Liquiritiae venalis depurati**	*uncias tres,*
Gummi arabici	
Sacchari albi	*āā libras duas.*
Cum	
Aquae fontanae	*suffic. quantitate,*
Albumine ovorum	*numero viginti,*
fiat pasta, addendo sub finem	
Elaeosacchari Vanillae	*drachmas tres.*
In taleolas scissa servetur.	

565. Pastilli Bilinenses.

Pastilli venales, rotuliformes, albi, saporis alcalini non ingrati, in aqua solubiles.

566. Petroleum.
Oleum Petrae rubrum.

Oleum aethereum bituminosum e terra et saxorum rimis scaturiens, tenue, limpidum, flavescens v. rubrum, odoris et saporis bituminosi, aëris aditu spissescit et nigrum evadit. Solvitur in oleis, difficilius autem in spiritu vini rectificatissimo.

567. Petroleum rectificatum.
Oleum Petrae album.

Oleum venale, sit limpidissimum, decolor.

†568. Phosphorus.

In officinis chemicis paratus, sistit bacillos compactos, lentos, extus opacos, intus pellucidos.

In aëre oxygenium attrahens, fumos alliaceos spargit, calore liquatur, in aëre inflammatur. In spiritu vini et aethere parum, in oleis omnino, non in aqua solvitur.

Phosphorum, qui ad usum medicum adhibetur, ab omni Arsenici vestigio plane immunem esse oportet.

† 569. Pilulae Augustini.

℞. **Pulveris Aloës lucidae**	*uncias tres,*
„ **radicis Rhei**	*drachmas tres,*
„ **Scammonii**	
„ **Colocynthidum**	
„ **radicis Jalapae**	
„ **Myrrhae**	*āā drachmam.*

Misce cum

Spiritus vini rectificati *s. q.*

et fiant pilulae granorum duorum.

Irrorentur cum Aethere, neve conspergantur.

570. Piper nigrum.

Baccae *Piperis nigri* Linn. fruticis scandentis Asiam tropicam incolentis sui ordinis, immaturae, siccatae, durae, pisi minoris forma et magnitudine, nigro-fuscae, rugosae, semen involventes unicum album (sub nomine Piperis albi cognitum), odoris aromatici, saporis acerrimi, aromatici.

571. Piperinum.

Praeparatum officinarum chemicarum.

Sint crystalluli prismatici, flavi, odoris et saporis expertes, reactionis neutrius, in aqua insolubiles, facile solubiles in Alcohole et in 100 p. Aetheris.

572. Pix liquida.

Praeparatum venale, e Fago sylvatica destillatione sicca paratum. Sit liquor spissus, aqua gravior, coloris nigro-fusci, odoris empyreumatici, Kreosotum redolens.

573. Pix navalis.
Pix nigra solida.

Evaporatione sicca Picis liquidae obtenta massa atra, opaca, vitrei splendoris, in frigore fragilis, calore inter digitos ductilis, odoris peculiaris resinosi.

†574. Plumbum aceticum crudum.
Saccharum Saturni crudum.

In officinis chemicis paratum, sistit massam crystallinam, decolorem, saporis cum notabili dulcedine acerbi. Aëre acidum aceticum sensim exhalat et inde in aqua plus minus insolubile.

Servetur in vase vitreo bene clauso.

†575. Plumbum aceticum depuratum.
Saccharum Saturni depuratum. Acetas Plumbi acidulus depuratus.

℞. Plumbi acetici crudi *uncias duodecim,*
solve in
Aquae destillatae calidae *unciis octodecim,*
addendo:
Acidi acetici concentrati puri *drachmam.*

Liquor filtratus ad crystallos formandas seponatur, quibus exemptis fluidum remanens cum
Acidi acetici concentrati puri *s. q.*
evaporetur, ut denuo crystallos formet, quae operatio tamdiu repetatur, quamdiu crystalli decolores formantur.

In vasis bene clausis, loco obscuro serva.

Crystalli sint prismaticae, decolores, in aëre sicco fatiscentes, in aqua facile et ex integro solubiles, saporis dulcis acerbi. Solutio laccam musicam parum rubefacit.

†576. Plumbum aceticum solutum.
Saccharum Saturni solutum. Acetas Plumbi acidulus solutus.

℞. Plumbi acetici depurati *uncias duas,*

Aquae destillatae *libram unam.*
Solve et serva.

†577. Plumbum aceticum basicum solutum.
Acetum Lithargyri. Acetum Plumbi. Acetum Saturni. Extractum Saturni. Acetum plumbicum.

℞. **Plumbi acetici depurati** *uncias sex,*
solve in
Aquae destillatae *libris duabus.*
adde:
Plumbi oxydati pulverati *uncias tres.*

Stent in vase vitreo clauso, saepius agitando, donec color sedimenti ruber in album mutatus fuerit.

Liquor filtratus servetur in vase vitreo bene clauso.

Sit limpidus, decolor, chartam exploratoriam curcuma tinctam rubrofuscam reddat.

Ne sit Cupro inquinatus.

578. Plumbum carbonicum.
Cerussa. Cerussa veneta.

In officinis chemicis paratum, massam refert albissimam, ponderosam, amorpham v. lamellosam, in tabulas v. conos formatam, odoris et saporis expertem.

Ad usus medicos nonnisi Plumbum carbonicum purum adhibe. Rejice Cerussam ad usus technicos destinatam, Baryta sulfurica, Plumbo sulfurico, Gypso aut Creta inquinatam.

579. Plumbum hyperoxydatum rubrum.
Minium.

In officinis chemicis paratum, sistit pulverem ponderosum, laete rubrum, inodorum et insipidum, in aqua insolubilem, in acidis pro parte solubilem.

580. Plumbum oxydatum.
Lithargyrum.

In officinis metallicis obtentum, sistit massas rubro-flavescentes, ponderosas, squamosas, nitidas, inodoras et sapore destitutas; in aqua insolubiles, in acido nitrico et acetico solubiles.

†581. Plumbum tannicum.
Cataplasma ad decubitum. Unguentum ad decubitum.

℞. **Corticis Quercus concisi** *uncias duas.*
Coque cum
Aquae fontanae *suffic. quant.*
ad colaturam *unciarum octo,*
et decocto filtrato affunde inter agitationem
Plumbi acetici basici soluti *uncias duas.*
Praecipitatum ope filtri separatum ponderis
unciarum circiter trium,
humidum adhuc sub forma linimenti spissioris in ollam immitte et adde
Spiritus vini rectificatissimi *drachmas duas.*
Non nisi ad dispensationem paretur.

582. Poma acidula.

Fructus *Pyri Mali* Linn. notissimi. Elige illas varietates, quae majorem acidi malici copiam continent.

583. Potio Riveri.
Potio antiemetica.

℞. **Kali carbonici puri** *drachmam unam,*
Succi Citri recentis *unciam unam et dimidiam,*
admisce:
Aquae destillatae frigidae *unciam unam et dimidiam,*
Syrupi simplicis *unciam dimidiam,*
cola per linteum.
Ex tempore parandum.

584. **Pulpa Cassiae.**

℞. **Cassiae Fistulae** *q. v.*

exime pulpam cum dissepimentis transversis et seminibus ope spathulae, elue cum

Aquae fontanae calidae *q. s.*

trajice per cribrum setaceum, et inspissa cauta evaporatione in lebete stanneo ad extracti liquidi consistentiam, deinde adde pro singulis libris:

Sacchari albi *uncias quatuor.*

Leni igne ulterius inspissando fiat pulpa.

Sit odoris melliti, saporis grate dulcis et nulla inquinationis metallicae vestigia prodat.

585. **Pulpa Prunorum.**

℞. **Fructuum Pruni siccatorum** *q. v.*

coque in

Aquae fontanae *s. q.*

continuo agitando, usque ad mollitiem.

Pulpam per cribrum setaceum transmissam leni igne evapora ad extracti spissioris consistentiam, deinde adde pro singulis libris:

Sacchari albi *uncias quatuor,*

et cauta evaporatione inspissa ad pulpae legitimae consistentiam.

586. **Pulpa Tamarindorum.**

E fructibus Tamarindi paretur, ut pulpa Prunorum.

587. **Pulvis aërophorus.**

℞. **Natri bicarbonici subtiliter triti** *scrupulum unum.*

Detur ad chartam caeruleam.

℞. **Acidi tartarici subtiliter triti** *grana quindecim.*

Detur ad chartam albam.

588. Pulvis aërophorus Seidlitzensis.
Seidlitz Powder Anglorum.

℞. Kali natronato-tartarici subtiliter triti *drachmas duas,*
Natri bicarbonici subtiliter triti *scrupulos duos.*
Mixta dentur ad chartam coeruleam.
℞. Acidi tartarici subtiliter triti *scrupulos duos.*
Detur ad chartam albam.

†589. Pulvis alterans Plummeri.
Pulvis Plummeri.

℞. Hydrargyri chlorati mitis
Stibii sulfurati aurantiaci *āā partes aequales.*
Triturando misce.
Paretur ex tempore.

590. Pulvis antihectico-scrophulosus.
Pulvis Nucum Moschatarum compositus.

℞. Pulveris Baccarum Lauri tostarum
„ Nucis Moschatae *āā unciam unam,*
„ Cornu Cervi usti *uncias duas.*
Misce.

†591. Pulvis Cosmi.
Pulvis arsenicalis Hellmundi.

℞. Pulveris Cinnabaris factitiae *drachmam dimidiam,*
„ Ossium ustorum
„ Sanguinis Draconis *āā grana quatuor,*
„ Arsenici albi *grana decem.*
Misce ex tempore.

592. Pulvis dentifricius albus.

℞. Pulveris Lapidum Cancrorum *uncias duas,*
„ Ossis Sepiae *unciam unam,*

Pulveris Tartari depurati
„ **Radicis Ireos florentinae** *aa unciam semis,*
Olei Caryophyllorum *guttas octo.*
Misce.

593. Pulvis dentifricius niger.

℞. **Pulveris corticis Chinae regiae**
„ **foliorum Salviae**
„ **Carbonis ligni depurati** *aa unciam semis.*
Misce.

594. Pulvis dentifricius ruber.

℞. **Coccionellae** *unciam semis,*
Tartari depurati pulverati *uncias sex,*
Aluminis usti
Ossium Sepiae *aa unciam unam.*
Misce cum
Aquae fontanae *s. q.*
ut fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur, deinde adde:
Olei Olivarum optimi
„ **Caryophyllorum** *aa guttas triginta.*
Misce exactissime.

†595. Pulvis Doweri.
Pulvis Ipecacuanhae cum Opio.

℞. **Pulveris radicis Ipecacuanhae**
„ **Opii puri** *aa drachmam unam.*
„ **Sacchari albi** *unciam.*
Misce diutius terendo.

596. Pulvis fumalis D^ris.^ Engel.

℞. **Myrrhae** *drachmas duas,*

Olibani
Mastiches — *āā unciam unam et dimidiam,*
Sacchari albi
Succini — *āā unciam dimidiam,*
Boli armenae — *uncias sex.*

Misce, fiat pulvis.

597. Pulvis fumalis nobilis.

℞. **Radicis Ireos florentinae**
Corticis Cassiae Cinnamomeae
Styracis in granis — *āā uncias sex,*
Benzoës — *uncias tres,*
Corticis Cascarillae
Caryophyllorum
Florum Lavandulae
„ **Calendulae** — *āā uncias duas,*
„ **Rosarum rubrarum** — *uncias quatuor.*

Conscinde in pulverem grossum, et per cribrum trajectum irrora cum:

Spiritus Coloniensis — *uncia dimidia.*

Optime commixtum serva in vasis vitreis bene clausis.

598. Pulvis fumalis ordinarius.

℞. **Olibani** — *uncias octo,*
Succini rubri — *uncias quatuor,*
Mastiches
Sandaracae — *āā uncias duas,*
Styracis Calamitae
Benzoës — *āā unciam unam et semis,*
Florum Rosarum rubrarum — *unciam unam,*
„ **Lavandulae**
„ **Cyani**
„ **Calendulae** — *āā drachmas duas.*

Ruditer concisa et contusa misce in pulverem grossum.

599. Pulvis gummosus.

℞. Pulveris Amyli		
„	Radicis Liquiritiae	*aa unciam unam.*
„	Gummi arabici	
„	Sacchari albi	*aa uncias duas.*

Misce.

600. Putamen nucum Juglandis.
Cortex nucum Juglandis interior.

Endocarpium lignoso-osseum Nucum Juglandis exemtis seminibus, et a cortice viridi exteriore mundatum.

601. Radix Alcannae.

Alcannae tinctoriae Tausch. *(Lithospermi tinctorii* Linn.*)* plantae ex ordine *Boraginearum*, in Europa imprimis australi crescentis radix, calami scriptorii usque digiti crassitie, rugosissima, varie flexa et torta, cortice atro-purpureo, decolorante, ligno albo. Odor nullus. Sapor modice adstringens, mucosus. Masticata salivam rubro tingit.

602. Radix Althaeae.

Althaeae officinalis Linn. plantae nostratis, ad usus pharmaceuticos etiam cultae, e *Malvacearum* ordine, radiculae rhizomatis teretes, a calamo scriptorio ultra digitum crassae, epidermide flaviusculo-grisea, transversim rugosa, parenchymate carnoso, e cellulis amylo scatentibus composito, medulla annulo carneo cincta. Odor peculiaris debilis, sapor fatuus, mucilaginosus.

Fodiatur vere, antequam stirpium annosarum folia radicalia penitus explicata fuerint, et rejecto rhizomate, partibus lignosis et cariosis, radiculae concisae siccatae serventur.

603. Radix Angelicae.

Archangelicae officinalis Hoffm. *(Angelicae Archangelicae* Linn.*)* herbae *Umbelliferae* biennis in subalpinis et paludosis Europae imprimis

borealis crescentis rhizoma, subspongiosum, pollicare vel bipollicare, radiculis praelongis, simplicibus, fere calami scriptorii crassitie onustum. Epidermis in sicco cinereo-lutescens, parenchyma albidum punctis resinosis, splendentibus, e recentis succo flavo indurato residuis conspersum. Odor penetrans, peculiariter aromaticus, sapor primum dulciusculus, deinde aromatico-acris.

Primo vere effossa et caute siccata in vitris clausis servetur. Rhizoma a vermibus corrosum rejice.

604. Radix Arnicae.

Arnicae montanae Linn. plantae *Compositae* in Europae mediae et borealis pratis montanis sylvaticis crescentis rhizoma, fere cylindricum, fragile, bi-tripollicare, vix calamo scriptorio crassius, fuscum, rugosum, annulatum, passim squamis badiis, mollibus et caulium rudimentis obsessum, ex uno latere emittens fibras radicales copiosas, calami secalini crassitie, pallide flavas. Odor proprius, aromaticus, nec vehemens, nec amoenus; sapor aromaticus, mordax, subamarus, diu durans.

Autumno e plantis fructiferis collecta et cito siccata, caute servetur, quia et mucedine facile corrumpitur et ab insectis exeditur.

605. Radix Bardanae.

Lappae vulgaris Neilr. (*Arctii Lappae* Linn.) plantae biennis, *Compositae*, vulgaris notitiae, radix fusiformis, digiti circiter crassitie, pedem interdum longa, fibris radicalibus vestita, extus fusco-cinerea, intus carnoso-spongiosa, alba. Recentis odor gravis subnarcoticus, siccatae debilior, sapor dulciusculus, mucilaginoso-amarus.

Colligatur sero autumno, e planta nondum caulescente, partibus lignosis, cavis et mucidis rejectis.

†606. Radix Belladonnae.

Atropae Belladonnae Linn. plantae perennis, e *Solanacearum* ordine, in Europae fere totius nemoribus, imprimis montanis crescentis, radix fusiformi-cylindrica, ramosa, pollicis crassitie et ultra, ramis calamo scriptorio paulo crassioribus, extus siccatione sordide grisea, longi-

tudinaliter rugosa, intus albida vel subcinerea, punctis flavescentibus nitidulis conspersa. Odor nullus, sapor fatuus, nauseoso-amariusculus, irritans.

Sub finem aestatis e stirpibus fructiferis collecta, et rejectis partibus quoquo modo vitiatis, caute siccata, servetur in loco bene clauso.

Lignosa tenax, nec facile frangenda, vel a vermibus corrosa rejiciatur.

607. Radix Caincae.

Chiococcae anguifugae Mart. *Chiococcae densifoliae* Mart. et *Chiococcae racemosae* Jacq. suffruticum Brasiliensium ex ordine *Rubiacearum* rhizoma ramosum, ramis pennae anserinae v. digiti minimi crassitie, plus minus tortis, epidermide griseo-fusca, aspera, annulato-nodosa, substantia interiore sordide alba v. ochroleuca, lignosa, tenaci, odoris debilis, nauseosi, saporis cum acerbitate amaricantis, sialagogum.

608. Radix Calami aromatici.
Radix Acori.

Acori Calami Linn. plantae perennis ex *Aroidearum* familia, in Asia indigenae, nunc in paludosis Europae mediae ubique jam sponte provenientis rhizoma horizontale, ramosum, subcylindricum, digiti minimi crassitie, annulato-geniculatum, ad geniculos squama fusca vaginatum, hinc fibrillis radicalibus copiosis, filiformibus, albidis obsitum, recentis epidermide olivacea, in sicco brunescente, parenchymate spongioso-carnoso, minutim poroso, exsiccatione fere araneoso-fibroso, fragili. Odor aromaticus, fragrans, sapor cum amaritudine acriusculus.

Radix autumno sero effossa, et cortice nequaquam detracto longitudinaliter in taleolas dissecta, leni calore siccetur. Decorticata fere iners est.

609. Radix Caricis arenariae.

Caricis arenariae Linn. plantae *Cyperaceae* in arena mobili Europae mediae borealis crescentis rhizoma horizontale, elongatum, dichotome-

ramosum, culmi triticei crassitie, articulatum, squamis vaginantibus, elongatis, badiis, laceris obsessum, tenacissimum, longitudinaliter fissile. Odor recentis balsamicus, siccatae fere nullus, sapor dulciusculus irritans.

Ne confundas cum radice Caricis hirtae, quae penitus inodora et insipida est.

610. **Radix Caryophyllatae.**

Gei urbani Linn. plantae perennis indigenae, e *Rosacearum* ordine, in subsylvaticis, imprimis montanis crescentis rhizoma oblongum, subpraemorsum, calami scriptorii crassitie, undique imprimis autem ex apice emittens fibras radicales tenues, praelongas, flexuoso-intricatas, rigidas, fragiles, extus cinereo-bruneas, intus rubellas seu violaceas. Odor caryophyllinus in sicca debilior, sapor subamaricans, adstringens.

Verno tempore fodiatur in montibus, et leni calore siccata servetur in vasis bene clausis non ultra biennium.

611. **Radix Chinae nodosae orientalis.**

Smilacis Chinae Linn. et aliarum specierum affinium, fruticum in Asia tropica crescentium e *Smilacearum* ordine, radix tuberiformis, quatuor sexve pollices longa, pollicem unum v. duos crassa, dura, ponderosa, cortice luteo brunescente, parenchymate pallide flavo-rubente, punctis bruneis, versus centrum confertioribus notato, minutim poroso. Odor submucidus, sapor modice dulcis, mucilaginosus, diutius masticatae subausterus.

Rejiciatur radix Chinae nodosae occidentalis, e Smilace Pseudo-China Linn. in Mexico et Antillis collecta, pallide fusca, levis, spongiosa.

612. **Radix Cichorei.**

Cichorei Intybus Linn. plantae *Compositae* nostratis notissimae radix lactescens, cylindrico-fusiformis, subramosa, digiti crassitie, spithamam ad pedem longa, extus cinereo-flavescens, intus carnosa albida, annulo lignoso ochroleuco. Sicca rugosa, fragilis, inodora, amara.

Aestate ineunte, ante caulium evolutionem, qua tempestate abundantissime lactescit, fodienda et cito siccanda.

613. Radix Colombo.

Cocculi palmati DC (*Menispermi palmati* Linn.) fruticis *Menispermacei*, in Africae occidentalis littore intertropico crescentis radix, advehitur in segmentis suborbicularibus, unius v. duorum pollicum diametro, duas quatuorve lineas crassis, compactis, fragilibus, subporosis, triturando in pulverem flavescenti-cinereum redigendis, odoris debilis, ingrati, saporis peramari, diu haerentis. In segmentis radicis Colombo tria imprimis v. quatuor strata distinguenda sunt, extimum flavo-virens, intermedium subfuscum, et intimum pallidius cinereo-flavescens, quae omnia radiis medullaribus fuscis, punctatis interrumpuntur. Cum tinctura Jodi colorem atro-caeruleum induit.

614. Radix Curcumae.

Curcumae longae Linn. et *Curcumae viridiflorae* Roxb. plantarum Indicarum e *Zingiberacearum* ordine rhizoma siccatum venale, occurrit in frustis oblongis vel rotundatis, ponderosis, epidermide pallide lutea, rugosa, parenchymate solido, duro, croceo-bruneo, resinoso splendente.

Odor debilis, zingiberaceus, sapor amariusculo-resinosus.

Pigmentum continet in aqua pro maxima parte solubile, solutione lacte flava, turbida, ab alcalinis rubro-brunescente.

615. Radix Enulae.

Radix Helenii. Radix Inulae.

Inulae Helenii Linn. plantae *Compositae* in Europae mediae et australis montibus crescentis, in usus pharmaceuticos hinc inde in hortis cultae, radix valida, ramosa, cortice tenui, albescente, in sicco lutescente-bruneo, longitudinaliter sulcato-rugoso, parenchymate carnoso, tandem lignescente, strato extimo fuscescente, centro flavo, radiis

medullaribus rufescentibus percurso. Odor recentis gravis, subcamphoratus, siccae debilior. Sapor aromatico-mucilaginosus, deinde cum acredine amariusculus.

Radix vere effossa et in frusta tenuia discissa siccetur. Aetate odorem fere penitus amittit, unde saepius removenda.

616. **Radix Filicis maris.**

Nephrodii Filicis maris Rich. (*Polypodii Filicis maris* Linn.) filicis in Europa monticolae caudex subterraneus horizontalis, pedem circiter longus, 2—3 pollices crassus, undique emittens fibras atrorufas descendentes, tectus ramentis paleaceis, ferrugineis, et stipitum reliquiis bulbilliformibus imbricatis. Remotis ramentis et fibris caudex extus atro-fuscus, siccitate sordide rubellus apparet, intus ochroleucovirescens, fasciculis vasorum pallidioribus. Odor peculiaris, ingratus, sapor dulciusculus, adstringens.

Fodiatur primo autumno, pulvere e sporangiis in frondium parte aversa defluente, et remotis fibrillis et ramentis caute siccata, ne ultra annum servetur.

617. **Radix Galangae.**

Alpiniae Galangae Swartz (*Marantae Galangae* Linn.) plantae perennis e *Zingiberacearum* ordine, in Asiae insulis intertropicis crescentis, ut creditur, rhizoma tuberoso-cylindricum, ramosum, incurvum, geniculatum. Prostat in frustulis duos v. tres pollices longis, digiti minimi crassitie, fuscis, striatis, albido-annulatis, intus pallide rufescentibus, compactis, fibroso-tenacibus. Odor grate aromaticus, sapor similis, cum acredine urens, diu durans.

In universum e merce multis modis inquinata eligantur frusta minoris crassitiei et odoris aromatici, satis manifesti.

618. **Radix Gentianae.**

Gentianae luteae Linn. et *Gentianae pannonicae* Scop. plantarum sui ordinis, in pratis alpinis et subalpinis Europae crescentium radix siccata, duplici varietate prostat.

Radix Gentianae luteae seu majoris, e *Gentiana lutea* Linn. imprimis in Helvetia collecta, sistit segmenta diversae magnitudinis, plerumque longitudinaliter secta, rugosa, rugis annularibus approximatis, cortice fuscescente crasso, annulo saturatius tincto, a parenchymate flavescente, centro spongioso medulloso distincto.

Radix Gentianae rubrae, e *Gentiana pannonica* Scop. in Alpibus et in Carpathis collecta, occurrit in segmentis integris, annulis transversis, superne obsoletis vel nullis, longitudinaliter rugosis, profundius fusco-coloratis.

Odor utriusque varietatis debilis, sapor primum subdulcis, deinde amarissimus, faucibus diu haerens.

619. Radix Graminis.

Tritici repentis Linn. *Graminis* notissimi ad vias, sepes et in agris passim luxuriantis stolones subterranei, praelongi, tenues, teretes, fistulosi, tenaces, nodosi, ad nodos radiculis obsiti, coloris straminei, inodori, saporis dulcis subirritantis.

Fodiatur vere, antequam culmi prodierint, et resectis radiculis siccata servetur.

† 620. Radix Gratiolae.

Gratiolae officinalis Linn. herbae *Scrophularineae* in humidis Europae degentis rhizoma cylindricum, pennae corvinae circiter crassitie, flavescenti-griseum, articulatum, ad articulos squamulis ovatis nigricantibus tectum, ibidemque fibras radicales numerosas, longas emittens. Odor nullus, sapor nauseosus, amaro-acris.

† 621. Radix Hellebori nigri.

Hellebori nigri Linn. plantae *Ranunculaceae*, in sylvis Europae subalpinis crescentis rhizoma multiceps, variae longitudinis, dimidium fere pollicem crassum, subanguloso-cylindricum, undique fibrilliferum, fibrillis culmi secalini crassitie, rigidis, nigris, vario modo contortis, longitudinaliter rugosis. Odor debilis, subnauseosus, sapor acris simul et peramarus.

† 622. **Radix Jalappae.**

Ipomoeae Purgae Wender. plantae *Convolvulaceae* in montibus Mexici crescentis radix, siccata advehitur in tuberibus subglobosis v. pyriformibus, nucis juglandis vel pugni mole, longitudinaliter rugoso-tuberculatis, obscure griseo-fuscis et inter rugas fumoso-sordidis, immixtis segmentis orbicularibus, plano-convexis, densis, duris, ponderosis, intus strata concentrica, puncta et lineas fuscas monstrantibus, fractura resinoso-nitente. Odor debilis nauseosus, sapor inamoene dulciusculus, deinde acris, irritans.

623. **Radix Imperatoriae.**

Peucedani Imperatoriae Endl. (*Imperatoria Ostruthium* Linn.) plantae *Umbelliferae* in subalpinis Europae mediae et borealis crescentis rhizoma, aliquot pollices longum, dimidium pollicem crassum, annulatum, geniculatum, e tuberculis radiculas copiosas agens, cortice bruneo longitudinaliter rugoso, parenchymate albido, centro compactiore, flavente, punctis resinosis, nigricantibus nitente. Odor recentis fere Angelicae, sapor subamarus, modice pungens.

† 624. **Radix Ipecacuanhae.**

Cephaelidis Ipecacuanhae Willd. herbae *Rubiaceae*, in sylvis primaevis Brasiliae crescentis, radix horizontalis, simplex v. in ramos paucos divergentes divisa, flexuosa et torta, culmi triticei vel pennae anserinae crassitie, tota obsita rugis annularibus valde prominentibus, latis, approximatis, epidermide laevigata, glabra, dilute fusca, siccitate umbrina, tandem umbrino-nigricante v. griseo-fusca, parenchymate siccitate pallide rubro, testaceo, resinoso-splendente, a filo centrali lignoso dilute flavido facile secedente. Odor debilis, mucidus, inter triturandum fortior, ingratus, sapor nauseosus, amarus, subacris.

625. **Radix Ireos florentinae.**

Iridis florentinae Linn. plantae *Irideae* in Europa australi indigenae et in Italia superiore cultae rhizoma tuberiforme, siccatum et decorti-

catum, venditur in frustis oblongis, nodoso-ramosis, incurvis, subrugoso-sulcatis, fibrarum rudimentis cicatrisatis v. laevigatis, duris, compactis, flavescentibus v. albidis. Odor grate aromaticus Violarum, sapor amaricans, deinde acris.

626. Radix Lapathi acuti.

Rumicis obtusifolii Linn. plantae ex ordine *Polygonearum* radix fusiformis v. cylindrica, spithamam longa, digiti crassitie, subramosa, parce fibrillosa, extus badia, parenchymate compacto, ochroleuco v. luteo subrubente, radiatim striato. Odor in sicca nullus, sapor cum acerbitate subacris et amaricans. Masticando salivam flavo tingit.

Fodiatur autumno, e planta fructifera, foliis emarcidis, et cito siccetur.

627. Radix Levistici.

Levistici officinalis Koch, herbae *Umbelliferae* in montanis Europae mediae australioris spontaneae, in hortulis rusticorum apud nos frequentissime cultae rhizoma crassum, multiceps, recens subtus in fibras radicales longas carnosas desinens, extus bruneo-flavescens, intus albidum, laesum succum lacteum flavescentem plorans, exsiccatum spongiosum, valde corrugatum, extus bruneum, intus albido-flavescens, punctulis resinosis rutilo-flavis scatens. Odor peculiaris gravis aromaticus. Sapor primum subdulcis, demum acriter aromaticus subamarus.

628. Radix Liquiritiae.

Glycyrrhizae glabrae Linn. plantae *Papilionaceae* in Europa australiore spontaneae, in media etiam cultae, radix longissime repens, ramosa, pollicem crassa, extus glabra, griseo-fusca, striato-sulcata, intus lutescens, radiata. Odor peculiaris, sapor perquam dulcis cum aliqua acredine.

629. Radix Ononidis.

Ononidis spinosae Linn. suffruticis *Papilionacei* in arvis et campis obvii, aestate adulta florentis radix multiceps, cylindrica, calami scrip-

torii circiter crassitie, pluripedalis, ramosa, tenacissima sub epidermide griseo-fusca et cortice tenui fusco, lignum exhibens album, radiis medullaribus crebris percursum. Odor nullus, sapor ingrate acerbus cum aliqua dulcedine.

Fodiatur autumno e fructifera planta.

630. **Radix Petroselini.**

Petroselini sativi Hoffm. (*Apii Petroselini* Linn.) herbae *Umbelliferae* in hortis passim satae radix fusiformis cuivis notissima, alba, obiter et irregulariter annulata, carnosa, odoris aromatici, saporis dulcis, subacris.

Vere fodienda.

631. **Radix Polypodii.**

Polypodii vulgaris Linn. *Filicis* in Europae sylvaticis ad rupes crescentis rhizoma, crassitie pennae corvinae vel parum crassius, teretiusculum, ramosum, nodosum, quasi articulatum, squamis scariosis bruneis obsessum, extus fuscum, intus viridi-flavescens, odoris rancidi, saporis subdulcis, demum cum acredine amaricantis.

632. **Radix Pyrethri.**

Anacycli Pyrethri DC. (*Anthemidis Pyrethri* Desfont.) plantae *Compositae* mediterraneae in Algeria imprimis collectae radix, circumfertur in segmentis cylindricis calami scriptorii aut digiti crassitie, quadri-pluripollicaribus, rugosis, griseo-fuscis, inodora, saporis acris, fere caustici, salivam copiose cientis.

633. **Radix Ratanhiae.**

Krameriae triandrae Ruiz et Pav. plantae suffruticosae *Polygaleae* in Peruvia crescentis radiculae e rhizomate ortae, concisae in frusta digitum et ultro crassa, cylindrica, simplicia v. ramosa, saepe flexuosa, rugosa tuberculato-aspera, epidermide fusco-rubra, cortice crasso facile separabili, parte lignosa compacta, ochroleuca vel cinnamomea, nunc ampla, nunc partem corticalem vix superante.

Odor nullus, sapor, imprimis partis corticalis, admodum adstringens, amaricans.

Radicem ligno flavescente praeditam ut spuriam rejice.

634. **Radix Rhei.**

Radix Rhabarbari.

Rhei palmati Linn., plantae *Polygoneae*, in alpibus Chinae borealioccidentalis crescentis radix decorticata et in frusta concisa, partim per Rossiam terrestri itinere (Rheum moscoviticum) ad nos adlata, prostat in segmentis irregularibus, variae magnitudinis, saepe hinc planis, inde convexis, non raro foratis, extus luteis, pulvere detersili conspersis, intus rubro et albo variegatis. Odor peculiaris aromaticus, sapor nauseoso-amaricans. Salivam manducantis flavo tingit, sub dentibus stridet.

Radix vetusta, cariosa, levis et spongiosa, vel lignosa et tenax, mucida vel nigricans omnino rejiciatur.

635. **Radix Salep.**

Tubera radicalia *Orchidearum* quarundam Asiaticarum oblonga aut ovata, integra vel basi palmatim partita, perforata et trajecto filo conjuncta, albida, grisea aut flavescentia, diaphana, durissime subcornea ponderosa, inodora, mucilaginosa, in aqua sensim intumescentia, et tandem in mucilaginem lubricam conversa.

Colligantur aestivis mensibus e plantis fructiferis, et aqua fervida necata ac cito siccata serventur.

636. **Radix Saponariae.**

Saponariae officinalis Linn. plantae indigenae *Caryophyllaceae* radix fusiformis, emittens ramos repentes, teretes articulatos, bi-tripedales, calamum scriptorium crassos, extus fusco-rubellos, parenchymate albido-grisco, parum compacto, a ligno centrali saepe cavo facile separabili. Odor nullus, sapor primum dulciusculus, dein acris, irritans.

Radix vere effodienda, quo tempore folia ovato-lanceolata, trinervia prodeunt.

637. Radix Sarsaparillae.

Smilacis diversarum specierum, in America tropica crescentium fibrae radicales praelongae, singulae, teretes, calami scriptorii crassitiem vix aequantes, bi-quadripedales, flexiles, striato-sulcatae.

Distinguuntur duae praecipue varietates:

a) Sarsaparilla acris (Honduras). Transversa sectio exhibet corticem crassum album, amylo scatentem, annulo fuscescente a parte centrali lignosa tenaci separatum. Sapor acris, parum amarus.

b) Sarsaparilla amaricans (Veracruz). Transversa sectio exhibet corticem tenuem rufescentem, densum et minime farinosum, strato annulari fusco separatum a parte centrali crassa, alba, saepe porosa, rubella.

638. Radix Senegae.

Polygalae Senegae Linn. plantae perennis, ordinis *Polygalearum*, in Americae borealis temperatis crescentis rhizoma venale, caulium rudimenta ferens, calami scriptorii crassitie, subnodoso-rugosum, annulatum, radiculas gerens bi-tripollicares tortas, annulatas, rugosas, rugis per annulos decurrentibus, epidermide cinereo-flavida, cortice flavescente, resinoso-nitente, fragili, parenchymate ochroleuco, lignoso, fissili. Odor fere nullus, sapor ligni modicus, corticis primum submucosus, deinde ingrate acidulus, admodum acris, peculiari rancore fauces vellicans.

639. Radix Serpentariae Virginianae.

Aristolochiae Serpentariae Linn. et *Aristolochiae officinalis* Nees. plantarum sui ordinis in Americae borealis calidioris montibus crescentium rhizoma tuberculosum, caulium et turionum reliquiis onustum, tenue, pollicare v. sesquipollicare, flexuosum, obsitum radiculis capillaribus ramosis, intricatis, uni-tripollicaribus, griseis vel ochroleucis, sub cortice tenui includentibus parenchyma densum, flavescens. Odor aromaticus, subcamphoratus, sapor aromatico-amarus.

640. **Radix Symphyti.**
Radix Consolidae majoris.

Symphyti officinalis Linn. plantae ex ordine *Boraginearum* in pratis humidis et pomariis apud nos obviae radix, calami scriptorii v. digiti minimi crassitie, extus nigro-fusca, intus albida, tenax, centro medullosa, inodora, saporis mucilaginosi, modice dulcis.

Autumno effossa et longitudinaliter difissa siccetur.

641. **Radix Taraxaci.**

Taraxaci officinalis Wigg. (*Leontodon Taraxacum* Linn.) plantae *Compositae* cosmopolitae et in vulgus notae radix multiceps, cylindrico-fusiformis, fere inodora, saporis primum dulcis, deinde amari.

Fodiatur primo vere aut sero autumno et caute siccata servetur.

642. **Radix Tormentillae.**

Tormentillae erectae Linn. plantae e familia *Rosacearum*, in pratis montanis et campis tota aestate florentis rhizoma horizontale vel obliquum, cylindrico-fusiforme, flexuoso-curvatum, digiti minimi crassitie, fibris longis, tenacibus, filiformibus obsessum. Odor debilis, rosaceus, in sicco fere nullus, sapor valde adstringens.

Fodiatur vere primum ac folia radicalia ternata prodierint, et fibris resectis siccetur.

643. **Radix Valerianae.**

Valerianae officinalis Linn. plantae sui ordinis, in sylvis et ad sepes Europae crescentis rhizoma breve, subrotundum vel oblongum, truncatum, undique fibris longis, culmi secalini crassitie, carnosis, sordide albis v. ochroleucis vestitum. Odor peculiaris, in sicca multo vehementior quam in recenti, sapor acri-aromaticus, camphoratus, amaritie aliqua junctus.

Fodiatur vere, simul ac folia radicalia pinnata prodierint, in locis montanis, siccis. Plantae in pratis humidis crescentis radix parum valet.

Servetur in vase bene clauso.

†644. Radix Veratri albi.
Radix Hellebori albi.

Veratri albi Linn. plantae in Europa monticolae, subalpinae, ex ordine *Melanthacearum*, rhizoma fusiforme, pollicem longum, digiti crassitie, e tuberculis ad collum copiosis agens radiculas plurimas, elongatas, teretes, pendulas, epidermide pallide brunescente, parenchymate cinereo-flavo, spongioso.

Radicis vehementer sternutatoriae odor nullus, sapor nauseoso-amarus, deinde acerrimus.

645. Radix Zedoariae.

Curcumae Zedoariae Rosc. plantae e familia *Zingiberacearum* in Asia tropica crescentis, tubera radicalia subglobosa v. hemisphaerica, in taleolas scissa, rugoso-nodosa, dura, ponderosa, griseo-albida v. ochroleuca, odoris fragrantis, saporis grate aromatici, subcamphorati.

Radix intus albido-farinosa, situ cariosa, parum aromatica rejiciatur.

646. Radix Zingiberis.
Zingiber album.

Zingiberis albi Roxb. *(Amomi Zingiberis* Linn.*)* plantae *Zingiberaceae*, in Asia tropica cultae rhizoma tuberosum, detracta epidermide concisum et siccatum advehitur in segmentis compressis, palmatim ramosis, sesqui-bipollicaribus, rugosis, cicatrisatis, griseo-fuscis, ponderosis, tenacibus, intus ochroleucis, fusco-variegatis, resinoso-nitentibus. Odor aromaticus, sapor fervidus.

†647. Resina Jalappae.
Magisterium Jalappae.

℞. **Radicis Jalappae ruditer contusae** *q. v.*
Infundendo eum
Aquae fervidae *s. q.*
macera per viginti quatuor horas et exprime.

Deinde affunde

Spiritus vini rectificati *s. q.*

ut radices obtegantur, et digere per viginti quatuor horas, deinde exprime, et cum nova spiritus vini quantitate iterum digere, et digestionem tamdiu repete, donec spiritus vini partibus resinosis non amplius impraegnatur.

Tunc tincturas commixtas et filtratas subjice destillationi in balneo aquae, spiritum vini abstrahendo.

Resina residua defuso liquido iteratis vicibus abluatur, donec aqua limpida et coloris expers defluxerit.

Resinam ablutam et in aquae fervidae temperatura bene siccatam, in bacillos formatam repone in vas clausum.

Resina admodum fragilis, fusco-lutea, fracturae splendentis, saporis acris, odoris nauseosi radicis Jalappae. In spiritu vini facile et perfecte, in Aethere et oleo Terebinthinae non solvitur.

648. Roob Ebuli.

℞. **Baccarum Ebuli** *q. v.*

Calefac agitando usque ad ebullitionem, deinde liquorem per setaceum transmitte et residuum sacculis linteis inclusum ope preli exprime. Succum expressum et colatum coque ad extracti spissioris consistentiam, tunc adde:

Sacchari albi *decimam partem,*

et leni igne sub continua agitatione evapora ad roob consistentiam.

649. Roob Juniperi.

℞. **Baccarum Juniperi maturarum recent.** *q. v.*

Conquassatas coque in

Aquae fontanae *s. q.*

donec mollescant, deinde exprime et cola.

Liquor colando depuratus evaporetur ad mellis spissitudinem, deinde addita

Sacchari albi *parte quarta*

leni calore inspissetur in roob.

650. **Roob Laffecteur.**

Roob Boyveau Laffecteur. Syrupus Sarsaparillae compositus.

℞. **Radicis Sarsaparillae concisae** *uncias sedecim,*
macera in
Aquae fontanae *libris octo*
per viginti quatuor horas, dein coque per $^{1}/_{4}$ horae. Cola et exprime. Residuum coque cum
Aquae fontanae *libris septem,*
et iterum cola et exprime. Residuum denuo coque cum
Aquae fontanae *libris septem,*
